


ORDO INITIATIONIS CHRISTIANÆ ADULTORUM

Ernest Sands.
Rome. Jan. 1973.

ORDO INITIATIONIS CHRISTIANÆ ADULTORUM




RITUALE ROMANUM

EX DECRETO SACROSANCTI ŒCUMENICI
CONCILII VATICANI II INSTAURATUM
AUCTORITATE PAULI PP. VI PROMULGATUM

ORDO INITIATIONIS CHRISTIANÆ ADULTORUM

EDITIO TYPICA



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXXII



SACRA CONGREGATIO PRO CULTU DIVINO

Prot. n. 15/72.

DECRETUM

Ordinis Baptismi adultorum recognitionem Concilium Œcumenicum Vaticanum II præcepit, statuens ut instauraretur catechumenatus adultorum pluribus gradibus distinctus, quo fieret ut tempus catechumenatus, aptæ institutioni destinatum, sacris ritibus, subsequentibus temporibus celebrandis, sanctificari posset. Idem autem Concilium pariter statuit ut, ratione habita catechumenatus instaurati, etiam ritus tum sollemnior tum simplicior baptizandi adultos recognosceretur.

Quibus decretis obsecuta, Sacra Congregatio pro Cultu Divino novum Ordinem initiationis christianæ adultorum confecit, quem, a Summo Pontifice PAULO VI approbatum, evulgandum curavit, eiusque editionem, quæ nunc exhibetur, typicam esse declarat, ut loco Ordinis Baptismi adultorum in Rituali Romano nunc exstantis assumatur. Statuit pariter ut novus hic Ordo statim adhiberi possit lingua latina; lingua autem vernacula a die quem Conferentia Episcopalis indicaverit, postquam popularem interpretationem confecerit eandemque ab Apostolica Sede confirmatam habuerit.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex ædibus S. Congregationis pro Cultu Divino, die 6 ianuarii 1972, in sollemnitate Epiphaniæ Domini.

ARTURUS Card. TABERA
Præfectus

A. BUGNINI
a Secretis

DE INITIATIONE CHRISTIANA ADULTORUM

PRÆNOTANDA *

1. Ordo initiationis christianæ, qui infra describitur, adultis destinatur, qui, audita annuntiatione mysterii Christi, Spiritu Sancto cor ipsorum aperiente, scienter et libere Deum vivum quærunt atque fidei et conversionis iter aggrediuntur. Cuius ope et in præparatione sua auxilio spirituali munientur et tempore opportuno sacramenta ipsa fructuose recipient.

2. Ordo enim non constat e sola celebratione sacramentorum Baptismi, Confirmationis et Eucharistiæ, sed ex omnibus etiam ritibus catechumenatus, qui, perantiquo Ecclesiæ usu probatus, hodiernæ operositati missionali omnibus in regionibus accommodatus, ita undequaque postulatur, ut Concilium Vaticanum II decreverit ipsum esse instaurandum et recognoscendum traditionibusque locorum aptandum.[1]

3. Quo melius componatur cum labore Ecclesiæ et cum condicione individuorum, parœciarum et missionum, Ordo initiationis exhibet in primis formam completam seu communem, multorum præparationi aptam (cf. nn. 68-239), ex qua pastores simplici accommodatione obtinent formam uni soli congruam. Deinde, pro casibus particularibus, præbetur tum forma simplicior, quæ vel uno tractu (cf. nn. 240-273) vel pluribus celebrationibus absolvitur (cf. nn. 274-277), tum forma brevior pro iis qui versantur in periculo mortis (cf. nn. 278-294).

I. De structura initiationis adultorum

4. Initiatio catechumenorum fit progressione quadam in medio communitatis fidelium qui, una cum catechumenis pretium mysterii paschalis considerantes et propriam conversionem renovantes, exemplo suo inducunt eos ad liberalius Spiritui Sancto obsequendum.

5. Ordo initiationis aptatur spirituali adultorum itineri, quod varium est secundum Dei gratiam multiformem, liberam ipsorum cooperationem, actionem Ecclesiæ et adiuncta temporis et loci.

* Prænotanda generalia de initiatione christiana inveniuntur in *Ordo Baptismi parvulorum*, Typis Polyglottis Vaticanis 1969, pp. 7-13.

[1] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, nn. 64-66; Decr. de activitate missionali Ecclesiæ, *Ad gentes*, n. 14; Decr. de pastorali Episcoporum munere, *Christus Dominus*, n. 14.

6. In hac via, præter tempora investigationis et maturationis (cf. infra n. 7), sunt « gradus » seu gressus, per quos catechumenus progrediens veluti portam transit vel gradum ascendit.

a) Primus habetur, quando, ad initialem conversionem accedens, vult christianus fieri et ab Ecclesia ut catechumenus recipitur.

b) Secundus, quando, provecta iam fide et catechumenatu fere absoluto, admittitur ad impensiorem sacramentorum præparationem.

c) Tertius, cum, perfecta præparatione spirituali, sacramenta accipit quibus christianus initiatur.

Tres ergo sunt gradus seu gressus vel portæ, quæ habenda sunt momenta maiora seu densiora initiationis. Qui gradus tribus ritibus liturgicis signantur, primus per Ordinem ad catechumenum faciendum, secundus per electionem, tertius per celebrationem sacramentorum.

7. Gradus autem adducunt ad « tempora » investigationis et maturationis vel per ea præparantur:

a) Primum tempus, quod ex parte candidati investigationem exigit, ex parte Ecclesiæ evangelizationi et « præcatechumenatui » tribuitur et per ingressum in ordinem catechumenorum clauditur.

b) Secundum tempus, quod ab hoc ingressu in ordinem catechumenorum incipit et plures annos perdurare potest, in catechesi ritibusque ipsi adnexis insumitur et absolvitur die electionis.

c) Tertium tempus, revera brevius, quod de more incidit in quadragesimalem præparationem sollemnitatum paschalium et sacramentorum, purificationi et illuminationi assignatur.

d) Ultimum tempus, quod per totum tempus paschale perdurat, attribuitur « mystagogiæ », id est tum experientiæ et fructibus colligendis, tum commercio et vinculis cum societate fidelium arctius ineundis.

Quattuor ergo sunt tempora continua: « præcatechumenatus », prima evangelizatione distinctus, « catechumenatus » ad catechesim integram destinatus, « purificationis et illuminationis » ad impensiorem præparationem spiritualem comparandam, « mystagogiæ » nova tum sacramentorum tum communitatis experientia signatum.

8. Præterea, cum initiatio christianorum nihil aliud sit quam prima sacramentalis participatio mortis et resurrectionis Christi, cum insuper tempus purificationis et illuminationis in tempus Quadragesimæ de more incidat,[2] et « mystagogia » in tempus paschale, ideo tota initiatio indolem paschalem præ se ferat oportet. Propterea Qua-

[2] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 109.

dragesima plenam vim obtineat ad impensiorem electorum præparationem et ipsa Vigilia paschalis habeatur tempus legitimum sacramentorum initiationis,[3] veruntamen non vetatur eadem sacramenta, propter necessitates pastorales, extra hæc tempora celebrari.

A. De evangelizatione et de « præcatechumenatu »

9. Etsi Ordo initiationis incipit admissione in catechumenatum, tempus tamen præcedens seu « præcatechumenatus » magnum momentum habet nec ex more prætermittendum est. In eo enim fit illa evangelizatio, qua fiducialiter et constanter annuntiatur Deus vivus et, quem ad omnium salutem misit, Iesus Christus, ut non Christiani, Spiritu Sancto cor ipsorum aperiente, credentes ad Dominum libere convertantur, eique sincere adhæreant qui, cum sit via, veritas et vita, omnes eorum exspectationes spirituales explet, immo infinite superat.[4]

10. Ex evangelizatione cum auxilio Dei peracta oriuntur fides et conversio initialis, quibus se quisque sentit a peccato revocari et in mysterio dilectionis divinæ proclivem. Cui evangelizationi integrum præcatechumenatus tempus tribuitur, ut maturescat vera voluntas Christum sequendi et Baptismum petendi.

11. Hoc igitur tempore candidatis apta fiat a catechistis, diaconis et sacerdotibus, immo et a laicis, explanatio Evangelii; attentum iis auxilium præstetur, ut ipsi purificata et clariore intentione cum divina gratia cooperentur, denique conventus candidatorum cum familiis et cœtibus christianorum faciliores evadant.

12. Ad Conferentias Episcopales pertinet, præter illam evangelizationem huic tempori propriam, providere, si casus ferat, et iuxta regionis adiuncta, primum modum recipiendi fautores (qui « sympathizantes » vulgo dicuntur), id est eos qui, etiamsi plene non credant, propensionem tamen exhibent in christianam fidem.

1) Eorum receptio, quæ ad libitum ac sine ritu fiet, rectam eorum intentionem, nondum vero fidem, manifestat.

2) Condicionibus locorum et opportunitatibus aptabitur. Aliis enim candidatis exhibendus est præsertim christianorum spiritus, quem noscere et experire satagunt; aliis autem, quorum catechumenatus propter varias rationes differtur, convenit primus quidam vel ipsorum vel communitatis actus externus.

3) Receptio fiet inter communitatis loci adunationes et conventus, dato tempore opportuno amicitiæ et colloquiis. Præsentatus ab

[3] Derogatur can. 790 C.I.C.
[4] Conc. Vat. II, Decr. de activitate missionali Ecclesiæ, *Ad gentes*, n. 13.

amico, fautor (« sympathizans ») ille liberis verbis salutatur et recipitur a sacerdote vel ab aliquo membro communitatis digno et apto.

13. Durante eodem « præcatechumenatus » tempore, pastorum est « sympathizantes » orationibus aptis adiuvare.

B. De catechumenatu

14. Summi momenti est ritus « ad catechumenos faciendos » nuncupatus, quia tunc, publice primum convenientes, et candidati voluntatem suam Ecclesiæ aperiunt, et Ecclesia, munere suo apostolico fungens, eos admittit, qui membra eius fieri intendunt. Quibus Deus gratiam suam largitur, cum illorum desiderium hac celebratione palam exhibeatur et eorundem receptio primaque consecratio ab Ecclesia significentur.

15. Ad hunc gressum faciendum requiritur ut in candidatis initialia vitæ spiritualis et doctrinæ christianæ fundamenta condita sint: [5] prima scilicet fides tempore « præcatechumenatus » concepta, initialis conversio voluntasque vitam mutandi et commercium cum Deo in Christo ineundi, ideoque primus pænitentiæ sensus incipiensque usus invocandi Deum et orandi, necnon prima experientia societatis et spiritus christianorum.

16. Auxiliantibus sponsoribus (cf. infra n. 42), catechistis et diaconis, ad pastores pertinet externa indicia harum dispositionum iudicare.[6] Eorundem præterea munus est ut, virtuti sacramentorum iam valide acceptorum attenti (cf. Prænotanda generalia, n. 4), præcaveant ne quis, iam baptizatus, quacumque de causa, iterum baptizari velit.

17. Post celebrationem ritus, tempestive scribantur in libro ad hoc destinato nomina catechumenorum, addita mentione de ministro et sponsoribus, de die et loco ipsorum admissionis factæ.

18. Exinde enim catechumeni, quos iam ut suos dilectione curaque complectitur Mater Ecclesia, quique cum ipsa coniuncti, iam de domo sunt Christi: [7] ab Ecclesia enim verbo Dei pascuntur et liturgicis subsidiis foventur. Ipsi proinde cordi habeant ut liturgiam verbi participent, benedictiones et sacramentalia recipiant. Quoties autem matrimonium contrahunt sive duo catechumeni inter se, sive catechume-

[5] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de activitate missionali Ecclesiæ, *Ad gentes*, n. 14.
[6] *Ibid.*, n. 13.
[7] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 14; Decr. de activitate missionali Ecclesiæ, *Ad gentes*, n. 14.

nus cum parte non baptizata, apto ritu utantur.[8] Si denique moriuntur durante catechumenatu, christianas obtinent exsequias.

19. Catechumenatus est tempus protractum, quo candidati institutione pastorali donantur et opportuna disciplina exercentur,[9] cuius ope dispositiones animi, per ingressum manifestatæ, ad maturitatem perducuntur. Quod quattuor viis obtinentur:

1) Apta catechesis, a sacerdotibus, diaconis vel catechistis et aliis laicis tradita, per gradus disposita et integre exhibita, anno liturgico accommodata et celebrationibus verbi fulta, eos adducit non solum ad congruam dogmatum et præceptorum notitiam, sed etiam ad intimam cognitionem mysterii salutis, cuius applicationem desiderant.

2) In exercitio christianæ vitæ familiariter conversantes, adiuti exemplo et subsidio sponsorum et patrinorum, immo fidelium totius communitatis, assuescunt Deum facilius orare, fidem testificari, Christi exspectationem in omnibus servare, supernam inspirationem in operibus sequi, et ad caritatem proximi usque ad abrenuntiationem sui operari. Sic instructi, « neo-conversi spirituale iter aggrediuntur, quo, fide iam communicantes mysterio mortis et resurrectionis, transeunt a vetere homine ad novum hominem in Christo perfectum. Hic transitus, secum trahens progressivam sensus et morum immutationem, cum suis socialibus consectariis manifestus fieri et tempore catechumenatus paulatim evolvi debet. Cum Dominus, cui creditur, signum sit contradictionis, homo conversus rupturas et separationes non raro experitur, sed etiam gaudia quæ non ad mensuram dat Deus ».[10]

3) Liturgicis ritibus congruentibus a Matre Ecclesia in suo itinere iuvantur, iisque paulatim iam mundantur et benedictione divina sustentantur. Ad illorum usum celebrationes verbi opportune promoventur, immo ipsi ad liturgiam verbi iam accedere possunt una cum fidelibus, quo melius se præparent ad futuram Eucharistiæ participationem. Pro more tamen, quando congregationi fidelium adsunt, oportet ut, antequam celebratio eucharistica inchoetur, nisi difficultates urgeant, comiter dimittantur: debent enim exspectare Baptismum, quo, sacerdotali populo aggregati, deputabuntur ad novum cultum Christi participandum.

4) Cum vita Ecclesiæ sit apostolica, catechumeni item discant testimonio vitæ et fidei professione ad evangelizationem et Ecclesiæ ædificationem actuose cooperari.[11]

[8] *Ordo celebrandi Matrimonium*, nn. 55-56.
[9] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de activitate missionali Ecclesiæ, *Ad gentes*, n. 14.
[10] Cf. *ibid.*, n. 13.
[11] *Ibid.*, n. 14.

20. Temporis spatium, catechumenatui congruens, pendet tum e gratia Dei tum e variis rerum adiunctis, nempe e ratione institutionis ipsius catechumenatus, e numero catechistarum, diaconorum et sacerdotum, e singulorum catechumenorum cooperatione, e subsidiis necessariis ad sedem catechumenatus petendam ibique commorandum necnon ex auxilio communitatis localis. Nihil ergo « a priori » definiri potest. Ad Episcopum proinde spectat tempus determinare, sicut et disciplinam catechumenatus moderari. Opportune etiam Conferentiæ Episcopales, attentis populorum et regionum condicionibus,[12] rem pressius decernent.

C. De tempore purificationis et illuminationis

21. Tempus purificationis et illuminationis catechumenorum cum Quadragesima ex more congruit, quia Quadragesima tam in liturgia quam in catechesi liturgica, per memoriam vel præparationem Baptismi et per pænitentiam,[13] renovat communitatem fidelium una cum catechumenis, eosdemque disponit ad mysterium paschale recolendum, quod sacramenta initiationis singulis applicant.[14]

22. Secundo gradu initiationis incipit tempus purificationis et illuminationis, tributum impensiori spiritus et cordis præparationi. In hoc gradu fit ab Ecclesia « electio », seu delectus admissioque catechumenorum, qui propter dispositiones suas idonei sunt, ut in proxima celebratione partem habeant sacramentorum initiationis. Nuncupatur quidem « electio », quia admissio, ab Ecclesia facta, fundatur in electione Dei, cuius nomine agit Ecclesia; vocatur pariter « inscriptio nominum », quatenus candidati, in pignus fidelitatis, nomina sua in libro electorum inscribunt.

23. Antequam « electio » celebretur, requiritur ad catechumenos quod attinet conversio mentis et morum, sufficiens doctrinae christianæ notitia, fidei caritatisque sensus; requiritur insuper deliberatio de ipsorum idoneitate. Postea in ipsa celebratione ritus manifestatio voluntatis eorum et sententia Episcopi vel delegati eius coram communitate habentur. Quapropter patet electionem, quæ tanta sollemnitate ornatur, veluti cardinem esse totius catechumenatus.

[12] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 64.
[13] *Ibid.*, n. 109.
[14] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de activitate missionali Ecclesiæ, *Ad gentes*, n. 14.

24. A die « electionis » et admissionis suæ catechumeni vocantur « electi ». Dicuntur etiam « competentes », quia una simul contendunt seu competunt ut accipiant sacramenta Christi et donum Spiritus Sancti. Appellantur etiam « illuminandi », quia Baptismus ipse vocatur « illuminatio » et per eum neophyti luce fidei perfunduntur. Diebus autem nostris adhibere licet etiam alia verba, quæ, pro diversitate regionum et civilis cultus, captui omnium ingenioque linguarum magis congruunt.

25. Hoc tempore, impensior animi præparatio, quæ ad recollectionem spiritualem potius quam ad catechesim pertinet, ordinatur ad corda et mentes tum purificanda per discussionem conscientiæ et pænitentiam, tum illuminanda per altiorem Christi Salvatoris cognitionem. Quod variis ritibus perficitur, præsertim per scrutinia et traditiones.

1) « Scrutinia », quæ sollemniter diebus dominicis celebrantur, ad duplicem supradictum finem spectant, nempe ad revelandum in cordibus electorum quod est debile, infirmum et pravum, ut sanetur; et quod est probum, validum et sanctum, ut firmetur. Scrutinia enim ordinantur ad liberationem a peccato et diabolo, et in Christo corroborant, qui est electorum via, veritas et vita.

2) « Traditiones », per quas Ecclesia electis mandat perantiqua fidei et orationis documenta, scilicet Symbolum et Orationem dominicam, ad illuminationem eorum tendunt. In Symbolo, quo magnalia Dei ad salutem hominum recoluntur, oculi eorum fide et gaudio perfunduntur. In Oratione autem dominica novum filiorum spiritum altius agnoscunt, quo Deum, in medio præsertim congregationis eucharisticæ, Patrem vocabunt.

26. Ad proximam sacramentorum præparationem:

1) Moneantur electi ut Sabbato sancto, quantum fieri potest ab opere consueto vacantes, tempus orationi et recollectioni mentis tribuant ieiuniumque pro viribus servent.[15]

2) Eadem die, si qua fiat electorum congregatio, haberi possunt aliqui ritus proxime præparatorii, v. g.: redditio Symboli, « Ephphetha », electio nominis christiani et, si casus ferat, unctio olei catechumenorum.

D. De ipsis initiationis sacramentis

27. Hæc sacramenta, nempe Baptismus, Confirmatio et Eucharistia, sunt ultimus gradus, quo, accedentes electi, peccatis remissis, po-

[15] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 110.

pulo Dei aggregantur, adoptionem filiorum Dei accipiunt, a Spiritu Sancto inducuntur in promissam temporum plenitudinem, immo per sacrificium conviviumque eucharisticum ad regnum Dei prælibandum.

a) De celebratione Baptismi adultorum

28. Baptismi celebratio, quæ ablutione aquæ cum invocatione SS.mæ Trinitatis quasi ad fastigium perducitur, præparatur benedictione aquæ et professione fidei, quæ cum ritu aquæ intime conectuntur.

29. Etenim per benedictionem aquæ, in qua dispensatio mysterii paschalis et electio aquæ ad illud sacramentaliter operandum recoluntur et SS.ma Trinitas iam primum invocatur, creatura aquæ significationem religiosam accipit et cœptum Dei mysterium coram omnibus illustratur.

30. Ritibus abrenuntiationis et professionis fidei, idem paschale mysterium, super aquam commemoratum, deinde breviter a celebrante in verbis Baptismi profitendum, actuosa baptizandorum fide profertur. Adulti enim non salvantur, nisi, sponte sua accedentes, donum Dei credendo velint accipere. Fides, cuius sacramentum recipiunt, non solius Ecclesiæ, sed eorum etiam propria est, et exspectatur eam fore apud eos actuosam. Dum baptizantur, nedum passive tantum suscipiant sacramentum, sua voluntate cum Christo fœdus ineunt, erroribus abrenuntiando, Deo autem vero adhærendo.

31. Continuo, postquam viva fide paschale Christi mysterium confessi sunt, accedentes, mysterium illud ablutione aquæ expressum accipiunt, et, postquam Ss.mam Trinitatem professi sunt, ipsa Trinitas, a celebrante invocata, operatur, electos suos inter filios adoptionis annumerando et plebi suæ aggregando.

32. Propterea ablutio aquæ, cum mysticam participationem mortis et resurrectionis Christi significet, per quam credentes in nomine eius peccatis moriuntur et in vitam resurgunt æternam, plenum suum momentum in celebratione Baptismi obtineat: seligatur proinde ritus vel immersionis vel infusionis, singulis casibus aptior, ut, pro variis traditionibus et rerum adiunctis, melius intellegatur eam ablutionem non esse mere purificationis ritum, sed sacramentum coniunctionis cum Christo.

33. Chrismatis unctio post Baptismum significat sacerdotium regale baptizatorum eorumque ascriptionem in populi Dei consortium. Vestis autem candida est symbolum novæ ipsorum dignitatis. Cereus vero accensus illustrat eorum vocationem ambulandi ut filios lucis addecet.

b) De celebratione Confirmationis adultorum

34. Secundum perantiquum usum in ipsa Liturgia Romana servatum, adultus ne baptizetur quin statim post Baptismum, dummodo ne obstent graviores rationes, accipiat Confirmationem (cf. n. 44). Hac conexione significantur unitas mysterii paschalis, necessitudo inter missionem Filii et effusionem Spiritus Sancti coniunctioque sacramentorum, quibus utraque persona divina cum Patre baptizatis advenit.

35. Propterea post ritus complementares Baptismi, omissa unctione post Baptismum (n. 224), confertur Confirmatio.

c) De prima participatione eucharistica neophytorum

36. Denique habetur celebratio Eucharistiæ, cuius neophyti hac die prima vice plenoque iure partem habent et in qua consummationem suæ initiationis inveniunt. In ipsa enim iidem neophyti, ad dignitatem sacerdotii regalis provecti, partem actuosam habent et orationis fidelium et, quantum fieri poterit, ritus deferendi oblata ad altare; cum tota communitate participes fiunt actionis sacrificii et Orationem dominicam reddunt, qua spiritum adoptionis filiorum, Baptismate acceptum, patefaciunt. Denique, communicantes Corpori tradito et Sanguini effuso, accepta munera confirmant et æterna prælibant.

E. De tempore « mystagogiæ »

37. Perfecto hoc ultimo gradu, communitas una cum neophytis tum meditatione Evangelii, tum participatione Eucharistiæ, tum exercitio caritatis progreditur in mysterio paschali altius percipiendo et in vitæ usum magis magisque traducendo. Hoc est ultimum tempus initiationis, id est tempus « mystagogiæ » neophytorum.

38. Plenior revera et fructuosior « mysteriorum » intellegentia acquiritur novitate enarrationis et maxime sacramentorum accepto-

rum experientia. Neophyti enim mente renovati sunt, intimius gustaverunt bonum Dei verbum, Spiritui Sancto communicaverunt et exploraverunt quam suavis sit Dominus. Ex hac experientia, homini christiano propria et exercitio vitæ aucta, hauriunt novum fidei, Ecclesiæ et mundi sensum.

39. Nova sacramentorum frequentatio, sicut illuminat sacrarum Scripturarum intellectum, pariter adeo auget scientiam hominum et redundat in experientiam communitatis, ut neophytis facilius et utilius reddatur commercium ceterorum fidelium. Propterea tempus mystagogiæ maximum momentum habet ut neophyti, a patrinis adiuti, intimiores relationes cum fidelibus ineant iisque renovatam visionem rerum novamque impulsionem afferant.

40. Cum indoles et vis propriæ huius temporis procedant ex hac personali et nova experientia tum sacramentorum tum communitatis, præcipuus locus « mystagogiæ » sunt sic dictæ « Missæ pro neophytis », seu Missæ dominicarum paschalium, quia in eis, præter adunatam communitatem et participationem mysteriorum, neophyti inveniunt, præsertim anno « A » Lectionarii, lectiones peculiariter sibi aptas. Propterea ad illas Missas invitanda est tota communitas loci una cum neophytis illorumque patrinis, earumque textus adhiberi possunt etiam quando initiatio extra tempora celebratur.

II. De ministeriis et officiis

41. Præter ea, quæ inter Prænotanda generalia (n. 7) dicta sunt, populus Dei, Ecclesia locali repræsentatus, intellegat semper et ostendat initiationem adultorum rem esse suam et negotium omnium baptizatorum.[16] Paratissimum ergo se præbeat ut, vocationem suam apostolicam adimplens, auxilium præstet iis qui Christum quærunt. In variis adiunctis vitæ cotidianæ, sicut in apostolatu, cuilibet discipulo Christi onus fidei disseminandæ pro parte sua incumbit.[17] Exinde candidatos et catechumenos iuvare debet toto curriculo initiationis, in præcatechumenatu, in catechumenatu et in tempore mystagogiæ. In specie autem:

1) Tempore evangelizationis et præcatechumenatus mente recolant fideles apostolatum Ecclesiæ, omniumque membrorum eius, imprimis dirigi ad nuntium Christi verbis et factis mundo patefaciendum

[16] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de activitate missionali Ecclesiæ, *Ad gentes*, n. 14.
[17] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 17.

gratiamque eius communicandam.[18] Faciles igitur se præbeant ad spiritum communitatis christianorum aperiendum, ad candidatos admittendos in familias, in colloquia privata, immo in quosdam communitatis cœtus.

2) Celebrationibus catechumenatus, pro opportunitate, adesse velint et actuosi se præstent responsionibus, orationi, cantui et acclamationibus.

3) Die electionis, cum agatur de incremento ipsius communitatis, curam habeant testimonium opportune reddendi de catechumenis iustum et prudens.

4) Tempore Quadragesimæ, id est tempore purificationis et illuminationis, assidui adsint ritibus scrutiniorum et traditionum, et catechumenis afferant exemplum propriæ renovationis in spiritu pænitentiæ, fidei et caritatis. In Vigilia paschali cordi habeant renovare promissiones Baptismi.

5) Tempore mystagogiæ Missas pro neophytis participent, eosdemque caritate amplectantur auxiliumque eis præstent quo iucundius in communitate baptizatorum se sentiant.

42. Candidatum, qui postulat ut inter catechumenos admittatur, comitatur sponsor, nempe vir aut mulier, qui eum novit, adiuvit et testis est morum, fidei et voluntatis eius. Contingere potest ut hic sponsor officium patrini temporibus purificationis et illuminationis necnon mystagogiæ non adimpleturus sit, sed tunc ab altero in hoc munere substituatur.

43. Patrinus autem,[19] a catechumeno propter exemplum, dotes et amicitiam delectus, a communitate christiana loci delegatus et a sacerdote approbatus, candidatum comitatur die electionis, in celebratione sacramentorum et tempore mystagogiæ. Illius est catechumeno familiariter ostendere usum Evangelii in vita propria et commercio societatis, iuvare in dubiis et anxietatibus, ei testimonium reddere et incremento vitæ eius baptismalis invigilare. Iam ante « electionem » delectus, munus suum publice exercet a die « electionis », cum de catechumeno coram communitate testimonium dicit; et officium eius conservat momentum, quando neophytus, sacramentis acceptis, adiuvandus est ut fidelis promissionibus Baptismi permaneat.

44. Episcopi est [20] per se vel per delegatum institutionem pastoralem catechumenorum condere, moderari atque fovere, necnon candidatos ad electionem et ad sacramenta admittere. Optandum est ut,

18 Cf. Conc. Vat. II, Decr. de apostolatu laicorum, *Apostolicam actuositatem*, n. 6.
19 Cf. Prænotanda generalia, n. 8.
20 Cf. *ibid.*, n. 12.

quantum fieri poterit, quadragesimali liturgiæ præsidens, ritum electionis et in Vigilia paschali sacramenta initiationis ipse celebret. Denique, pro sua pastorali cura, Episcopus catechistis, qui revera digni sunt et opportune præparati, tradat deputationem ad exorcismos minores celebrandos.[21]

45. Presbyterorum est, præter consuetum ministerium quod in qualibet celebratione Baptismi, Confirmationis et Eucharistiæ gerunt,[22] ut ad pastoralem personalemque catechumenorum curam attendant,[23] de iis præsertim solliciti qui hæsitantes et afflicti esse videantur, ut, auxiliantibus diaconis et catechistis, catechesi eorum provideant; ut patrinorum electionem approbent eosdemque libenter audiant et adiuvent; ut denique ad perfectum aptatumque usum rituum diligentiam adhibeant in decursu totius Ordinis initiationis (cf. infra n. 67).

46. Presbyter, qui adultum aut puerum ætatis catecheticæ baptizat, absente Episcopo, Confirmationem quoque conferat, nisi hoc sacramentum alio tempore conferendum sit (cf. n. 56).[24]

Quando confirmandi numerosiores sunt, Confirmationis minister presbyteros ad sacramentum ministrandum sibi sociare potest.

Necesse est ut hi presbyteri:

a) aut peculiari munere vel officio in diœcesi fungantur, scilicet sint aut Vicarii Generales, aut Vicarii sive Delegati episcopales, aut Vicarii districtuales seu regionales, vel, qui Ordinarii mandato, iisdem pares ex officio habeantur;

b) aut sint parochi locorum in quibus Confirmatio confertur, vel parochi locorum ad quæ confirmandi pertinent, vel presbyteri qui peculiarem operam naverunt in præparatione catechetica confirmandorum.[25]

47. Diaconorum, si adsunt, auxilium præsto sit oportet. Si Conferentia Episcopalis opportunum iudicaverit stabiles diaconos instituere, provideat etiam ut eorum numerus congruus sit, ut gradus, tempora et exercitia catechumenatus haberi possint omnibus locis, ubi necessitatibus pastoralibus requiruntur.[26]

48. Catechistæ, quorum officium ad progressum catechumenorum et incrementum communitatis momentum habet, teneant in ritibus,

[21] Abrogatur in hoc casu can. 1153 C.I.C.
[22] Cf. Prænotanda generalia, nn. 13-15.
[23] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum Ordinis*, n. 6.
[24] Cf. *Ordo Confirmationis*, Prænotanda, n. 7 b.
[25] Cf. *ibid.*, n. 8.
[26] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 26; Decr. de activitate missionali Ecclesiæ, *Ad gentes*, n. 16.

quotiescumque fieri poterit, partem actuosam. Dum edocent, attendant ut doctrina sua sit spiritu evangelico referta, symbolis liturgicis et curriculo anni accommodata, catechumenis aptata, et traditionibus loci, quantum fieri potest, locupletata. Immo, ab Episcopo deputati, possunt exorcismos minores (cf. supra n. 44) et benedictiones peragere,[27] de quibus in Rituali nn. 113-124.

III. De tempore et loco initiationis

49. Ordine initiationis pastores ita de more utantur, ut sacramenta celebrentur in Vigilia paschali et electio fiat prima dominica Quadragesimæ. Ceteri autem ritus, ratione habita huius supradictæ dispositionis (nn. 6-8, 14-40), distribuantur. Attamen, propter graviores necessitates pastorales, curriculum totius Ordinis aliter disponere licet, ut pressius infra dicetur (nn. 58-62).

A. Tempus legitimum seu consuetum

50. Quod attinet ad tempus celebrandi ritum ad faciendos catechumenos, hæc notanda sunt:

1) Ne sit præmaturum: exspectetur donec candidatis, pro dispositionibus et condicione, necessarium temporis spatium affuerit ad fidem initialem concipiendam et ad ostendenda prima conversionis indicia (cf. supra n. 20).

2) Ubi numerus candidatorum maior esse solet, exspectetur donec cœtus efformetur sufficiens pro catechesi et liturgicis ritibus.

3) Statuantur in anno duæ vel, pro necessitate, tres dies seu tempora opportuniora, in quibus de more ritus perficiatur.

51. Ritus « electionis » seu « nominis inscriptionis » de more celebretur prima dominica in Quadragesima. Pro opportunitate, paulo anticipari potest vel etiam celebrari infra hebdomadam.

52. « Scrutinia » locum habeant dominica III, IV et V in Quadragesima, pro necessitate aliis dominicis eiusdem Quadragesimæ, immo etiam in feriis hebdomadæ magis congruis. Tria celebrentur « scrutinia »; attamen propter impedimenta gravia Episcopus potest ab uno vel etiam in extraordinariis adiunctis a duobus dispensare. Deficiente autem tempore, anticipata electione, anticipetur etiam primum scrutinium; attendatur tamen in hoc casu ne « tempus purificationis et illuminationis » protrahatur ultra octo hebdomadas.

[27] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 79.

53. Ab antiquitate « traditiones », cum post scrutinia fiant, pertinent ad idem tempus purificationis et illuminationis; celebrentur autem intra hebdomadam. Symbolum traditur in hebdomada post primum scrutinium; Oratio autem dominica, post tertium. Attamen, pro opportunitate pastorali, quo ditior fiat liturgia temporis catechumenatus, traditiones transferri possunt et celebrari intra catechumenatum ad modum « ritus transitionis » (cf. nn. 125-126).

54. Sabbato sancto, cum electi, a labore vacantes (cf. supra n. 26), meditationi se dedunt, peragi possunt varii ritus immediate præparatorii: redditio Symboli, ritus « Ephphetha », electio nominis christiani, immo unctio cum oleo catechumenorum (cf. nn. 193-207).

55. In ipsa Vigilia paschali sacramenta initiationis adultorum celebrentur (cf. nn. 8 et 49). Si autem catechumeni permulti sunt, maior pars eorum hac ipsa nocte sacramentis donatur, ceteri autem ad dies infra octavam Paschæ remitti possunt et sacramentis renovari vel in ecclesiis primariis vel etiam in stationibus secundariis. Quo in casu usurpetur vel Missa diei propria vel Missa ritualis pro initiatione christianorum, adhibitis etiam lectionibus Vigiliæ paschalis.

56. Quibusdam in casibus collatio Confirmationis remitti potest circa finem temporis mystagogiæ, v. g. in dominicam Pentecostes (cf. n. 237).

57. Omnibus et singulis dominicis post primam Paschæ habeantur sic dictæ « Missæ pro neophytis », ad quas et communitas et noviter baptizati cum patrinis instanter invitantur (cf. supra n. 40).

B. Extra tempora

58. Etsi Ordo initiationis ita de more disponendus est ut sacramenta in Vigilia paschali celebrentur, tamen, propter adiuncta insolita et necessitates pastorales, permittitur ut ritus electionis necnon temporis purificationis et illuminationis celebrentur extra Quadragesimam et sacramenta ipsa extra Vigiliam vel diem Paschæ. In adiunctis etiam ordinariis, solummodo tamen propter graves necessitates pastorales, v. g. ubi permulti sunt baptizandi, seligere licet, præter curriculum initiationis in Quadragesima de more peractum, aliud tempus, præprimis tempus paschale, ad sacramenta initiationis celebranda. Quibus in casibus, mutatis momentis insertionis in anno liturgico, ipsa totius Ordinis structura, cum opportunis intervallis, eadem maneat. Accommodationes autem fiant prout sequitur.

59. Sacramenta ipsa initiationis, quantum fieri poterit, celebrentur die dominica, adhibita, pro opportunitate, aut Missa dominicæ aut Missa rituali propria (cf. supra n. 55).

60. Ritus ad catechumenos faciendos locum habeat tempore congruo, uti dictum est n. 50.

61. « Electio » celebretur fere sex hebdomadis ante sacramenta initiationis, ita ut sufficiens adsit tempus pro scrutiniis et traditionibus. Caveatur ne celebratio electionis cadat in sollemnitatem anni liturgici. Pro ritu usurpentur lectiones in Rituali assignatæ. Formularium autem Missæ erit vel diei vel Missæ ritualis.

62. « Scrutinia » non in sollemnitatibus, sed diebus dominicis vel etiam infra hebdomadam, servatis consuetis intervallis, celebrentur, lectiones usurpando in Rituali assignatas. Formularium Missæ erit vel diei vel Missæ ritualis, ut infra n. 374 bis.

C. De locis initiationis

63. Ritus fiant in locis congruentibus, prout significatur in Rituali. Ratio habeatur necessitatum peculiarium, quæ oriuntur in stationibus secundariis regionum missionis.

IV. De aptationibus, quas Conferentiæ Episcopales, hoc Rituali Romano utentes, facere possunt

64. Præter aptationes in Prænotandis generalibus (nn. 30-33) prævisas, Ordo initiationis adultorum alias accommodationes a Conferentiis Episcopalibus definiendas admittit.

65. Ad placitum illarum Conferentiarum hæc statui possunt:

1) Ante catechumenatum, ubi opportunum esse videtur, instituere modum quendam recipiendi fautores (« sympathizantes ») (cf. supra n. 12).

2) Sicubi cultus gentilitii passim floreant, inserere in Ordinem ad catechumenos faciendos, nn. 79 et 80, primum exorcismum primamque abrenuntiationem.

3) Statuere ut gestus frontem signandi fiat ante frontem, sicubi tactus decere non videatur (n. 83).

4) Ubi, iuxta praxim religionum non christianarum, initiatis nomen novum statim datur, statuere ut candidatis novum nomen imponatur in Ordine ad catechumenos faciendos (n. 88).

5) Secundum consuetudines locorum, admittere in eodem Ordine, n. 89, ritus auxiliarios ad significandam receptionem in communitatem.

6) Tempore autem catechumenatus, præter ritus consuetos (nn. 106-124), instaurare « ritus transitionis », uti « traditiones » anticipandas (nn. 125-126), ritum « Ephphetha », redditionem Symboli vel etiam unctionem cum oleo catechumenorum (nn. 127-129).

7) Decernere omissionem unctionis catechumenorum (n. 218) vel eius translationem inter ritus immediate præparatorios (nn. 206-207) vel eius usum intra tempus catechumenatus ad modum « ritus transitionis » (nn. 127-132).

8) Formulas abrenuntiationis pressiores et ditiores reddere (cf. nn. 217 et 80).

V. De iis quæ ad Episcopum spectant

66. Episcopo autem, pro sua diœcesi, competit:

1) Institutionem catechumenatus condere et pro necessitatibus normas opportunas decernere (cf. n. 44).

2) Prout adiuncta ferunt statuere an et quando Ordo initiationis celebrari possit extra tempora (cf. n. 58).

3) Dispensare propter impedimenta gravia ab uno scrutinio vel etiam, in extraordinariis adiunctis, a duobus (cf. n. 240).

4) Permittere ut ex parte vel ex toto adhibeatur Ritus simplicior (cf. n. 240).

5) Catechistis, qui revera digni sunt et opportune præparati, deputationem tradere ad exorcismos et benedictiones peragenda (cf. nn. 44 et 47).

6) Ritui « electionis » præsidere et ratam habere per se vel per delegatum admissionem electorum (cf. n. 44).

VI. De accommodationibus quæ ministro competunt

67. Celebrantis est plene et intellegenter uti libertate quæ ipsi sive in Prænotandis generalibus, n. 34, sive in rubricis Ordinis deinceps tribuitur. Multis in locis de consulto modus agendi et precandi non determinatus est vel duæ solutiones oblatæ sunt, ut celebrans ritum secundum prudens iudicium suum pastorale condicioni candidatorum et astantium possit accommodare. Maxima libertas relicta est in monitionibus et in supplicationibus, quæ pro adiunctis semper abbreviari vel mutari possunt vel etiam ditari intentionibus, ut respondeant speciali condicioni sive candidatorum (v. g. luctui vel gaudio quod alicui ex iis in familia occurrerit) sive astantium (v. g. luctui vel gaudio communi parœciæ aut civitatis).

Ipsius etiam celebrantis erit textus accommodare, mutatis genere ac numero, pro cuiusvis circumstantiæ opportunitate.

CAPUT I

ORDO CATECHUMENATUS PER GRADUS DISPOSITUS

PRIMUS GRADUS: RITUS AD CATECHUMENOS FACIENDOS

68. Ordo, quo ii, qui christiani fieri intendunt, inter catechumenos annumerantur, celebratur cum, accepta prima Dei viventis annuntiatione, initialem iam fidem in Christum Salvatorem habent. Exinde præsupponitur absoluta prima « evangelizatio », initium conversionis et fidei ac sensus Ecclesiæ præviumque cum sacerdote vel aliquibus membris communitatis commercium necnon præparatio ad hunc ordinem liturgicum.

69. Antequam candidati inter catechumenos admittantur, quod diebus determinatis inter annum iuxta locales condiciones fiet, tempus pro diversis casibus opportunum et necessarium exspectetur ad motiva conversionis investiganda et, si necesse est, purificanda.

70. Optatur ut vel integra christiana communitas vel aliqua eius pars, ex amicis et familiaribus catechistisque ac sacerdotibus constans, actuosam partem celebrationi habeant.

71. Adsint præterea « sponsores », qui candidatos, ab ipsis adductos, nunc Ecclesiæ præsentent.

72. Ritum, qui receptione candidatorum, liturgia verbi et dimissione eorum perficitur, Eucharistia etiam sequi potest.

Ritus introductionis

73. Candidati una cum sponsoribus suis fideliumque cœtu congregantur sive extra limen ecclesiæ sive in atrio vel ingressu, sive etiam in parte ipsius ecclesiæ accommodata, sive denique, pro adiunctis, in alio idoneo extra ecclesiam loco. Ad quem sacerdos vel diaconus, indutus alba vel superpelliceo et stola vel etiam pluviali festivi coloris, venit, fidelibus psalmum vel hymnum aptum pro opportunitate cantantibus.

Monitio prævia

74. Celebrans candidatos humaniter salutat. Alloquens deinde eos ipsorumque sponsores atque astantes omnes, gaudium Ecclesiæ gratumque animum significat, et sponsoribus amicisque opportune memorat experientiam propriam sensumque religiosum quo candidati, iter suum spirituale secuti, ad hodiernum gressum perveniunt.

Deinde invitat sponsores et candidatos ut accedant. Dum veniunt et locum occupant coram sacerdote, cantus aptus opportune peragitur, v. g. Ps. 62, 1-9.

Collocutio

75. Tunc celebrans singulos candidatos interrogat primo, si casus ferat, de nomine civili seu de nomine familiæ, nisi nomina, propter parvum numerum candidatorum, iam nota sint. Quod fit hoc vel simili modo:

Quo nómine vocáris?

Candidatus:

N.

Singuli semper respondeant, etiamsi interrogatio semel tantum, ratione numeri candidatorum, a celebrante fiat.
Si magis placet, celebrans singulos vocat nominatim; vocati autem respondent:

Adsum.

Reliquæ interrogationes, propter magnum numerum, omnibus simul fieri possunt.

Celebrans:

Quid petis ab Ecclésia Dei?

Candidatus:

Fidem.

Celebrans:

Fides quid tibi præstat?

Candidatus:

Vitam ætérnam.

Aliis etiam verbis uti potest celebrans ad interrogandum candidatum de eius proposito, et admittere liberas responsiones: v. g., post primam interrogationem: Quid petis? Quid vis? Ad quid? admittere licet verba: Grátiam Christi, vel Ingréssum in Ecclésiam, vel Vitam ætérnam vel alia convenientia, quibus deinde celebrans interrogationes suas aptabit.

Prima adhæsio

76. Postea celebrans, iterum pro necessitate accommodans sermonem suum responsionibus acceptis, candidatos denuo alloquitur, his vel similibus verbis:

Omnem, qui venit in mundum, hóminem Deus illúminat eíque maniféstat a creatúra mundi sua invisibília, ut grátias ágere discat suo Creatóri. Vobis ígitur, qui lumen eius estis secúti, ecce nunc Evangélii via aperítur: ut, iaciéntes fundaménta, vivum agnoscátis Deum, qui homínibus revéra lóquitur; ac, luce Christi ambulántes, eius confidátis sapiéntiæ, et, in dies vitam vestram in eo reponéntes, toto corde in ipsum crédere valeátis. Hæc est fídei via, qua Christus vos perdúcet in caritáte, ut vitam habeátis ætérnam. Numquid paráti estis, ductu eius, illam hódie viam íngredi?

Candidati:

Parátus sum.

Formulæ ad libitum, aliis adiunctis aptiores, n. 370.

77. Deinde ad sponsores et ad omnes fideles conversus, interrogat eos his vel similibus verbis:

Vos, qui nunc istos nobis candidátos præsentátis, sponsóres, vosque fratres univérsi circumstántes, estis paráti illos adiuváre ad Christum inveniéndum eúmque sequéndum?

Omnes:

Paráti sumus.

Exorcismus et abrenuntiatio quoad cultus gentilitios

[78.] Ubicumque passim floreant cultus sive ad potestates spirituales colendas, sive ad umbras defunctorum evocandas, sive ad beneficia magicis artibus obtinenda, possunt, pro iudicio Conferentiarum Episcopalium, introduci, ex toto vel ex parte, primus quidam exorcismus primaque abrenuntiatio, ubi sequitur. Quo in casu n. 76 omittendus erit.

[79.] Post brevissimam monitionem aptam, celebrans, versus faciem uniuscuiusque candidati leniter exsufflat, dicens:

Spíritu oris tui repélle, Dómine, malígnos spíritus:
ímpera eis ut recédant, quia appropinquávit regnum tuum.

Sicubi vero exsufflatio, etiam lenis, minus conveniens esse videatur, omittitur; formulam autem supradictam dicat celebrans manu dextera ad candidatos erecta, vel alio modo regionis usibus aptato, vel etiam absque ullo gestu.

Si vero numerosiores sunt candidati, celebrans formulam semel tantum dicit pro omnibus, omissa exsufflatione.

[80.] Si Conferentia Episcopalis opportunum esse iudicaverit ut iam nunc candidati cultibus religionis non christianæ et spiritibus vel magicis artibus aperte abrenuntient, ipsius erit procurare formulam interrogationis et abrenuntiationis, adiunctis locorum aptam, quæ his verbis vel similibus (dummodo sermo non sit ipsis religionum non christianarum cultoribus offensivus) profertur:

Dilectíssimi candidáti, cum a Deo vocáti et adiúti, illum solum eiúsque Christum cólere et adoráre decernátis, atque ipsi soli Deo eiúsque Christo servíre iam velítis, nunc hora est ut públice abrenuntiétis iis potestátibus, quæ non sunt Deus, et cúltibus, quibus Deo venerátio non exhibétur. Absit ergo a vobis, ut Deum eiúsque Christum deserátis et aliénis potestátibus serviátis.

Candidati:

Absit a nobis.

Celebrans:

Absit a vobis ut N. et N. colátis.

Candidati:

Absit a nobis.

Et ita pariter pro unoquoque cultu, cui renuntiandum est.
Alia formula ad libitum, n. 371.

[**81.**] Celebrans deinde, ad sponsores et ad omnes fideles conversus, interrogat eos his vel similibus verbis:

Vos, qui nunc istos nobis candidátos præsentátis, sponsóres,
vosque fratres univérsi circumstántes,
qui eos audístis,
testes estis candidátos istos Dóminum Christum elegísse
eíque soli servíre velle?

Omnes:

Testes sumus.

Celebrans:

Estis paráti eos adiuváre ad Christum inveniéndum
eúmque sequéndum?

Omnes:

Paráti sumus.

---

82. Celebrans, manibus iunctis, dicit:

Tibi, clementíssime Pater,
pro his fámulis tuis grátias ágimus,
quod te, multímodis præveniéntem et pulsántem,
iam quæsiérunt,
tibíque, hódie vocánti, coram nobis respondérunt.
Te ígitur omnes laudámus et benedícimus, Dómine.

Omnes:

Te laudámus et benedícimus, Dómine.

Signatio frontis et sensuum

83. Tunc celebrans candidatos (si pauci sunt) eorumque sponsores invitat his vel similibus verbis:

Nunc ergo, candidáti dilectíssimi, accédite cum sponsóribus, ut accipiátis signum novæ condiciónis vestræ.

Et singuli successive cum sponsoribus accedunt ad celebrantem. Qui pollice crucem facit in fronte (vel ante frontem, si Conferentia Episcoporum censet propter adiuncta tactum non convenire) uniuscuiusque catechumeni, dicens:

N., áccipe crucem in fronte:
Christus ipse te munit
signo caritátis suæ (vel: victóriæ suæ).
Edísce nunc illum cognóscere et sequi.

Postquam celebrans catechumenos signaverit, catechistæ vel etiam sponsores, pro opportunitate, idem faciunt, nisi postea signare debeant, uti in n. 85.

[**84.**] Si vero numerus candidatorum sat magnus sit, celebrans eos alloquitur, his vel similibus verbis:

Candidáti caríssimi, cum nobis assentiéndo (si antea abrenuntiatio facta est: et falsis cúltibus abrenuntiándo) vitam et spem nostram in Christo probavéritis, nunc vos, ut catechúmeni efficiámini, una cum catechístis et sponsóribus vestris, signábo signo crucis Christi; et tota vos commúnitas amóre suo complectétur et auxílio prævéniet.

Tunc celebrans signum crucis super omnes simul facit, catechistis vel sponsoribus illud super singulos applicantibus, dicens:

Accípite crucem in fronte:
Christus ipse vos munit
signo caritátis suæ (vel: victóriæ suæ).
Edíscite nunc illum cognóscere et sequi.

---

85. Deinde fit signatio sensuum (de iudicio autem celebrantis omitti potest partim vel etiam totaliter).

Signationes peraguntur a catechistis vel a sponsoribus (et, si in particularibus adiunctis requiritur, fieri possunt a pluribus presbyteris vel diaconis). Formula autem semper profertur a celebrante, qui dicit:

Dum signantur aures:

Accípite signum crucis in áuribus, ut audiátis vocem Dómini.

Dum signantur oculi:

Accípite signum crucis in óculis, ut videátis claritátem Dei.

Dum signatur os:

Accípite signum crucis in ore, ut verbo Dei respondeátis.

Dum signatur pectus:

Accípite signum crucis in péctore,
ut Christus hábitet per fidem in córdibus vestris.

Dum signantur scapulæ:

Accípite signum crucis in scápulis,
ut suscipiátis suáve iugum Christi.

Celebrans postea solus catechumenos omnes simul signat, non tangendo, sed signum crucis super illos producendo, dum ait:

Signo vos omnes in nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti, ut vivátis in sǽcula sæculórum.

Candidati:

Amen.

Ritus signandi cruce, præsertim si pauci sunt catechumeni, fieri potest super singulos a celebrante, qui formulas profert numero singulari.

86. Signationes autem, quotiescumque factæ sint (nn. 83, 84, 85), concludi possunt, pro opportunitate, collaudando Christum, v. g.:

Glória tibi, Dómine.

87. Deinde celebrans dicit:

Orémus.

Preces nostras, quǽsumus, Dómine, cleménter exáudi,
et hos catechúmenos N. et N.,
quos crucis domínicæ impressióne signávimus,
eiúsdem virtúte custódi,
ut, glóriæ tuæ rudiménta servántes,
per custódiam mandatórum tuórum
ad regeneratiónis glóriam perveníre mereántur.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

Vel altera oratio ad libitum:

Orémus.

Omnípotens Deus,
qui per crucem et resurrectiónem Fílii tui
pópulum tuum vivificásti,
præsta, quǽsumus,
ut fámuli tui, quos cruce signávimus,
vestígia Christi prosequéntes,
salvíficam crucis virtútem vivéndo téneant
et operándo demónstrent.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

Impositio nominis novi

[**88.**] Sicubi vigent religiones non christianæ, quæ nomen novum initiatis statim imponunt, Conferentia Episcoporum decernere potest ut novis catechumenis iam nunc nomen imponatur vel christianum vel in culturis localibus usitatum, non obstante præscriptione can. 761 C.I.C., dummodo christiano sensu affici valeat (quo in casu omittentur suo tempore nn. 203-205).

Celebrans:

N., deínceps vocáberis étiam N.

Catechumenus:

Amen (vel aliud verbum conveniens).

Interdum satis erit ut explicetur significatio christiana nominis antea a parentibus accepti.

Ritus auxiliarii

89. Si quæ consuetudines videantur aptæ ad significandam receptionem in communitatem, v. g. porrectio salis vel alius actus symbolicus aut etiam traditio crucis vel numismatis sacri, admitti possunt, pro iudicio Conferentiæ Episcopalis, et inseri sive ante sive post ingressum in ecclesiam.

Introductio in ecclesiam

90. His peractis, celebrans invitat catechumenos ut intrent cum sponsoribus suis in ecclesiam vel in locum aptum, hæc vel similia dicens:

[N. et N.,] ingredímini in ecclésiam,
ut partem habeátis nobíscum in mensa verbi Dei.

Tunc gestu invitat catechumenos ut intrent cum sponsoribus suis in ecclesiam vel in locum aptum.

Interim, cantatur antiphona:

Veníte, fílii, audíte me: timórem Dómini docébo vos,

cum Psalmo 33, 2. 3. 6. 9. 10. 11. 16, vel alius cantus congruus.

Sacra verbi Dei celebratio

91. Postquam catechumeni ad suas sedes pervenerint, celebrans eos breviter alloquitur, patefaciens dignitatem verbi Dei, quod in ecclesia annuntiatur et auditur.

Postea liber sacrarum Scripturarum processione defertur, honorifice deponitur et, pro opportunitate, etiam incensatur.

Sequitur sacra verbi Dei celebratio.

Lectiones et homilia

92. Seligantur una vel plures lectiones novis catechumenis aptiores ex iis quæ in Ordine lectionum Missæ, n. 743, assignantur. Seligi possunt etiam alii textus apti et alii psalmi responsorii, n. 372 propositi.

Deinde fit homilia.

Porrectio Evangeliorum

93. Postea, si celebranti placuerit, libelli Evangeliorum catechumenis digne et reverenter distribuuntur, adhibita, pro opportunitate, formula congrua, v. g.:

Accipe Evangélium Iesu Christi Fílii Dei.

Etiam cruces dari possunt, nisi forte antea in signum receptionis iam traditæ sint.

Catechumenus opportune verbis aptis respondebit dono et verbo celebrantis.

Deprecatio pro catechumenis

94. Deinde tota congregatio fidelium una cum sponsoribus hanc deprecationem vel aliam similem habet pro catechumenis.

Celebrans:

Frátribus nostris catechúmenis, qui longum iam cursum duxérunt, gratulántes pro Dei mansuetúdine, qua ad hunc diem addúcti sunt, orémus pro ipsis, ut magnum, quod adhuc restat, iter usque ad plenam vitæ nostræ participatiónem percúrrere váleant.

Lector:

Ut Pater cæléstis Christum suum eis in dies magis revélet, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Lector:

Ut íntegram Dei voluntátem corde magno et ánimo voléntí amplectántur, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Lector:

Ut in via sua prosequénda sincéro et continénti auxílio nostro fulciántur, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Lector:

Ut communitátem nostram unitáte córdium conspícuam et caritáte affluéntem invéniant, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Lector:

Ut illórum nostrúmque corda magis magísque necessitátibus hóminum commoveántur, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Lector:

Ut, suo témpore, lavácro regeneratiónis et renovatiónis Spíritus Sancti digni habeántur, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

In supradicta deprecatione addatur petitio consueta pro necessitatibus Ecclesiæ et totius mundi, si deinde, dimissis catechumenis, oratio universalis omittenda erit in celebratione eucharistica (cf. n. 97).

Oratio conclusiva

95. Deprecatione absoluta, celebrans, manus ad catechumenos extendens, profert orationem sequentem:

Orémus

(Deus patrum nostrórum,) Deus univérsæ cónditor creatúræ,
te súpplices exorámus,
ut hos fámulos tuos N. et N.
respícere dignéris propítius,
ut sint semper spíritu fervéntes,
spe gaudéntes,
tuo semper nómini serviéntes.
Perduc eos, Dómine, quæsumus,
ad novæ regeneratiónis lavácrum,
ut, una cum fidélibus tuis vitam degéntes prósperam,
promissiónum tuárum ætérna præmia consequántur.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

Vel alia oratio ad libitum:

Orémus.

Omnípotens sempitérne Deus, pater univérsæ creatúræ,
qui hóminem ad imáginem tuam creásti,
hos accedéntes diléctos amánter súscipe, et præsta,
ut, qui verbum Christi tui inter nos audiérunt,
virtúte eius innováti,
ad plenam dénique cum ipso conformitátem
tua grátia pervéniant.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

Dimissio catechumenorum

96. Tunc celebrans, brevissime recolens quanto cum gaudio catechumeni recepti sint, eosque admonens ut secundum verbum auditum exinde vivere studeant, dimittit, his vel similibus verbis usus:

Catechúmeni, ite in pace, et Dóminus máneat vobíscum.

Catechumeni:

Deo grátias.

Cœtus catechumenorum, postquam exierit, non statim solvitur, sed ductu aliquorum fidelium insimul manent, ut fraterne gaudium et spiritualem experientiam inter se conferre possint.

Si autem propter graviores rationes non exeunt (cf. Prænotanda, n. 19, § 3) et cum fidelibus manere debent, caveatur, etiamsi celebrationi Eucharistiæ adsint, ne partem habeant ad modum baptizatorum.

Si autem Eucharistia non celebretur, cantus aptus pro opportunitate addatur, et fideles una cum catechumenis dimittantur.

Celebratio Eucharistiæ

97. Postquam catechumeni recesserint, si Eucharistia sequatur, continuo incipit oratio universalis pro Ecclesiæ et totius mundi necessitatibus. Dicitur postea, si casus ferat, Credo et fit præparatio donorum. Attamen, ob rationes pastorales, orationem universalem et Credo omittere licet.

DE TEMPORE CATECHUMENATUS EIUSQUE RITIBUS

98. Catechumenatus, seu pastoralis catechumenorum disciplina, ita protrahatur ut eorum conversio et fides maturescere queant, et si necesse est, etiam per plures annos. Etenim totius vitæ christianæ institutione et tirocinio debite producto catechumeni apte initiantur mysteriis salutis et exercitio morum evangelicorum sacrisque ritibus, subsequentibus temporibus celebrandis, et introducuntur in vitam fidei, liturgiæ et caritatis populi Dei.

In casibus peculiaribus, attenta præparatione spirituali candidati, de iudicio Ordinarii loci, tempus catechumenatus brevius esse potest, immo, in adiunctis omnino singularibus, uno tractu persolvi valet (cf. n. 240).

99. Instructiones intra illud tempus catechumenis tradantur, quibus, dum doctrina catholica ipsis omni ex parte exhibetur, fides illuminetur, cor in Deum dirigatur, participatio mysterii liturgici foveatur, actio apostolica excitetur vitaque tota secundum spiritum Christi nutriatur.

100. Celebrationes verbi Dei habeantur, tempori liturgico accommodatæ, quæ tum catechumenorum instructionibus, tum necessitatibus communitatis inserviant (cf. infra, nn. 106-108).

101. Exorcismi primi, seu minores, modo deprecatorio ac positivo instructi, ante oculos catechumenorum veram exhibeant condicionem vitæ spiritualis, pugnam inter carnem et spiritum, momentum abrenuntiationis ad beatitudines regni Dei consequendas atque continuam divini auxilii necessitatem (cf. infra nn. 109-118).

102. Benedictiones etiam, quibus Dei caritas et Ecclesiæ sollicitudo significantur, catechumenis offerantur, ut, dum ipsi gratia sacramentorum adhuc carent, animum tamen gaudiumque et pacem in labore et itinere persequendo ab Ecclesia accipiant (cf. infra nn. 119-124).

103. Per eosdem annos, dum catechumeni progredientes a primo cœtu catechetico ad alios ascendunt, transitus occurrentes ritibus aliquoties significari possunt. Pro opportunitate ergo anticipare licet traditionem Symboli, immo Orationis dominicæ, et ritum « Ephphetha », pro quibus tempus nonnumquam deerit in ultima competentium præparatione (nn. 125-126). Provideri etiam possunt, pro locorum utilitate et voto, celebrationes ritus unctionis ope Olei catechumenorum (cf. infra nn. 127-132).

104. Catechumeni hoc tempore cogitent de illis patrinis inveniendis, a quibus Ecclesiæ die electionis præsentabuntur (cf. Prænotanda generalia de initiatione christiana, nn. 8-10, et supra n. 43).

105. Interdum in anno curetur, ut ad aliquas celebrationes catechumenatus, necnon ad ritus transitionis (cf. nn. 125-132), congregetur universa communitas, quæ initiationis catechumenorum partem habet, nempe presbyteri, diaconi, catechistæ, sponsores et patrini, amici ac familiares.

De celebrationibus verbi Dei

106. Ad usum catechumenorum parentur peculiares verbi Dei celebrationes, quibus in primis hæc proposita sint:

a) ut doctrina tradita animis infigatur, v. g., ethica Novi Testamenti propria, condonatio iniuriarum et contumeliarum, sensus peccati et pænitentiæ, officia christianorum in mundo implenda, etc.;
b) ut orationis aspectus et viæ sapide doceantur;
c) ut signa, actiones et tempora mysterii liturgici catechumenis explanentur;
d) ut iidem paulatim in cultum totius communitatis inducantur.

107. Ad sanctificationem diei dominicæ, cum iam a tempore catechumenatus institutio quædam providenda sit:

a) celebrationes, n. 106 memoratæ et catechumenis propriæ, hac die assidue fiant, ut assuescant actuose et perite earum partem habere;
b) prima pars celebrationis Missæ dominicalis paulatim ipsis aperiatur, in qua fiat, si potest, dimissio catechumenorum post liturgiam verbi et addatur deprecatio pro ipsis in oratione universali.

108. Celebrationes verbi Dei fieri possunt post catechesim et complecti exorcismos minores; concludi etiam possunt benedictionibus, ut infra dicetur (cf. nn. 110 et 119).

De exorcismis minoribus

109. Exorcismi minores celebrantur a sacerdote vel a diacono, immo a catechista digno et apto, ab Episcopo deputato ad hoc ministerium peragendum. Qui omnes, manus extendentes supra catechumenos inclinatos vel genuflexos, unam vel aliam ex orationibus infrascriptis proferunt (nn. 113-118).

110. In ecclesia vel in sacello vel in domo catechumenatus fiant intra celebrationem verbi; etiam, pro opportunitate, in principio vel in fine congregationum ad catechesim habendam; denique, ob peculiares necessitates, privatim pro singulis catechumenis.

111. Iam ante catechumenatum, tempore evangelizationis, exorcismi minores peragi possunt ad bonum spirituale fautorum (qui « sympathizantes » vulgo appellantur).

112. Nihil impedit quominus formulæ, pro exorcismis minoribus assignatæ, pluries variis in adiunctis adhibeantur.

Orationes exorcismi

113. Orémus.

Omnípotens sempitérne Deus,
qui nobis per unigénitum Fílium tuum
Spíritum Sanctum promisísti,
pro his catechúmenis, qui sese tibi ófferunt,
te súpplices exorámus:
omnem ab eis spíritum malígnum,
omnem erróris et peccáti operatiónem avérte,
ut ipsi templum Spíritus Sancti fíeri mereántur.
Et, verbum fídei nostræ confírmans,
fac ut non loquámur inániter,
sed in illa virtúte et grátia,
qua Unigénitus tuus mundum liberávit a malo.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:
Amen.

114. Orémus:

Dómine Deus noster, per quem vita vera revelátur,
corruptéla tóllitur, fides roborátur,
spes érigitur et cáritas confovétur,
te rogámus in nómine dilécti Fílii tui
Dómini nostri Iesu Christi

et in virtúte Spíritus Sancti:
ab his fámulis ámove incredulitátem et dubitatiónem
(idolórum servitútem et magíam,
incantaménta et necromantíam),
pecúniæ cupiditátem et passiónum illécebras,
inimicítias ac dissensiónes
et formam quámlibet pravitátis.
Et quia vocásti eos,
ut sancti et immaculáti fíerent
in conspéctu tuo,
ínnova in eis spíritum fídei et pietátis,
patiéntiæ et spei,
temperántiæ et puritátis,
caritátis et pacis.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

115. Orémus.

Dómine Deus omnípotens,
qui ad imáginem et similitúdinem tuam
hóminem in sanctitáte ac iustítia condidísti,
et, peccatórem non déserens,
salúti eius per incarnatiónem Fílii tui sapiénter providísti,
hos fámulos tuos salva
et ab ómnibus malis et inimíci líbera servitúte;
aufer ab eis spíritum mendácii, cupiditátis et nequítiæ.
Súscipe eos in regnum tuum,
áperi óculos cordis eórum
ad intellegéndum Evangélium tuum,
ut, fílii lucis effécti,
membra sint Ecclésiæ tuæ sanctæ,
testimónium perhíbeant veritáti,

et ópera secúndum mandáta tua exérceant caritátis.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

116. Orémus.

Dómine Iesu Christe,
qui, montem ascéndens, discípulos tuos a via peccáti avértere
et regni cælórum beatitúdines reveláre voluísti,
fac, ut fámuli tui,
qui verbum Evangélii áudiunt,
a spíritu cupiditátis et avarítiæ,
voluptátis et supérbiæ servéntur immúnes.
Sicut discípuli tui,
beátos se cénseant páuperes et esuriéntes,
misericórdes et mundo corde:
pacem ásferant et persecutiónes læti sustíneant,
ut fiant regni tui partícipes,
et, promíssam sibi misericórdiam consecúti,
vidéndi Deum gáudio in cælis fruántur:
Qui vivis et regnas in sǽcula sæculórum.

Omnes:

Amen.

117. Orémus.

Deus, univérsæ carnis creátor et salvátor,
qui hos diléctos amóre tuo formásti,
misericórdia suscepísti et ad te dignánter vocásti,
hódie, mentes eórum probans,
ípsos tuére Fílium tuum exspectántes,
consérva eos providéntia tua,
et, consílium caritátis tuæ ad finem perdúcens,

præsta, ut ipsi, Christo fírmiter adhæréntes,
inter discípulos eius in terris ascribántur
et in cælis eiúsdem confessiónem audíre læt. téntur.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

118. Orémus.

Deus, córdium inspéctor et óperum remunerátor,
labóres et proféctum famulórum tuórum benígnus réspice.
Gressus eórum confírma,
fidem auge, pæniténtiam súscipe,
et, iustítiam bonitatémque tuam paténter apériens,
præsta, ut sacraménta tua in terris participáre
et tui mereántur consórtio pérfrui sempitérno.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

Aliæ orationes exorcismi, n. 373.

De benedictionibus catechumenorum

119. Benedictiones n. 102 indicatæ impertiri possunt a sacerdote vel a diacono vel etiam a catechista (cf. n. 48), qui, manus extendentes ad catechumenos, unam vel aliam ex orationibus infrascriptis proferunt (nn. 121-124). Oratione absoluta, catechumeni, si commode fieri potest, accedunt ad celebrantem, qui singulis manum imponit. Deinde exeunt.

Benedictiones de more conferantur præsertim in fine celebrationum verbi Dei; etiam, pro opportunitate, in fine catecheticæ congregationis; denique, ob peculiares necessitates, privatim singulis catechumenis.

120. Iam ante catechumenatum, tempore evangelizationis, eodem modo benedicere licet fautores (« sympathizantes »), ad ipsorum spirituale bonum.

121. Orémus.

Da, quǽsumus, Dómine, catechúmenis nostris,
ut, sanctis edócti mystériis,
et renovéntur fonte baptísmatis,
et inter Ecclésiæ tuæ membra numeréntur.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

122. Orémus.

Deus, qui per sanctos prophétas tuos
accedéntibus ad te nuntiásti:
« Lavámini, mundi estóte »,
et per Christum spirituálem regeneratiónem disposuísti,
hos nunc réspice fámulos,
qui se diligénter ad baptísmum dispónunt:
bénedic eos,
et, promissiónibus tuis fidélis, prǽpara et sanctífica,
ut, donórum tuórum capáces effécti,
et adoptiónem filiórum
et Ecclésiæ tuæ consórtium recípere mereántur.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

123. Orémus.

Dómine Deus omnípotens,
réspice servos tuos,
qui Evangélio Christi tui erudiúntur:
da, ut, te cognoscéntes ac diligéntes,
corde pleno et álacri ánimo tuam semper fáciant voluntátem.
Dignáre eos initiatióne sancta instituere;
ággrega eos Ecclésiæ tuæ,

ut divinórum mysteriórum
et terrénæ fiant et perpétuæ sortis partícipes.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

124. Orémus.

Deus, qui, per advéntum unigéniti Fílii tui Iesu Christi,
mundum ab erróre próvidus liberásti,
exáudi nos et da catechúmenis tuis intellegéntiam,
perfectiónem, fidem non ancípitem
et firmam veritátis agnitiónem,
ut in dies ascéndant de virtúte in virtútem;
témpore opportúno
regeneratiónem accípiant in remissiónem peccatórum,
et nomen tuum nobíscum gloríficent.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

Aliæ orationes benedictionis, n. 374.

Ritus inter tempora catechumenatus

125. Traditiones, quæ tum ad utilitatem « temporis catechumenatus », tum propter brevitatem « temporis purificationis et illuminationis » anticipari possunt, celebrentur oportet quando catechumeni maturi videntur; secus, ne fiant.

126. Celebratio fiat modo infra descripto: traditio Symboli nn. 183-187; traditio Orationis dominicæ nn. 188-192. Traditione peracta, celebratio concludi potest ritu « Ephphetha » (cf. nn. 200-202), nisi inter « ritus transitionis » habeatur redditio Symboli (cf. nn. 194-199), quæ incipit a ritu « Ephphetha ». In his casibus caveatur ne in formulis usurpetur verbum « electi »: dicatur simpliciter « catechumeni ».

127. Si opportunum videtur catechumenos prima unctione muniri, ministranda est unctio a sacerdote vel a diacono.

128. Unctio, quæ in fine celebrationis verbi Dei confertur, omnibus catechumenis datur. Ob peculiares rationes conferri potest etiam privatim singulis. Præterea, pro opportunitate, licet pluries catechumenos inungere.

129. In ipso ritu adhibeatur Oleum catechumenorum benedictum ab Episcopo in Missa chrismatis vel, ob rationes pastorales, a sacerdote statim ante unctionem.[1]

Ritus unctionis

130. Si usurpatur Oleum antea ab Episcopo de more benedictum, celebrans prius dicat unam vel aliam ex formulis exorcismorum minorum (nn. 113-118). Deinde:

Múniat vos virtus Christi Salvatóris,
in cuius signum vos óleo linímus salútis,
in eódem Christo Dómino nostro,
qui vivit et regnat in sǽcula sæculórum.

Catechumeni:

Amen.

Singuli catechumeni liniuntur Oleo catechumenorum in pectore vel in utraque manu vel etiam in aliis partibus corporis, si opportunum esse videtur. Si numerosiores sunt catechumeni, plures ministros adhibere licet.

[131.] Si autem Oleum a sacerdote benedicendum sit, ipse illud benedicit, dicens hanc orationem:

Deus, plebis tuæ virtus et præsídium,
qui signum róboris in ólei creatúra posuísti,
hoc óleum benedícere ✠ dignéris;
et catechúmenis, qui eo liniéntur,

[1] Cf. *Ordo benedicendi Oleum catechumenorum et infirmorum et conficiendi Chrisma*, Prænotanda, n. 7. Typis Polyglottis Vaticanis 1971, p. 8.

concéde fortitúdinem,
ut, divínam sapiéntiam et virtútem accipiéntes,
Evangélium Christi tui áltius intéllegant,
magno ánimo labóres vitæ christiánæ aggrediántur,
et, digni adoptiónis filiórum effécti,
se in Ecclésia tua renásci et vívere lætántur.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

[**132.**] Postea celebrans, ad catechumenos conversus, dicit:

Múniat vos virtus Christi Salvatóris,
in cuius signum vos óleo linímus salútis,
in eódem Christo Dómino nostro,
qui vivit et regnat in sǽcula sæculórum.

Catechumeni:

Amen.

Singuli catechumeni liniuntur Oleo catechumenorum in pectore vel in ambabus manibus vel etiam in aliis partibus corporis, si opportunum esse videtur. Si numerosiores sunt catechumeni, plures ministros adhibere licet.

SECUNDUS GRADUS: RITUS ELECTIONIS SEU INSCRIPTIONIS NOMINIS

133. Ineunte Quadragesima, quæ est proxima initiationis sacramentalis præparatio, celebratur « electio » seu « nominis inscriptio », in qua Ecclesia, audito patrinorum et catechistarum testimonio, catechumenis voluntatem suam confirmantibus, de statu præparationis ipsorum iudicat et statuit an possint ad sacramenta paschalia accedere.

134. Celebratione « electionis » concluditur catechumenatus ipse, ideoque longa mentis cordisque disciplina. Propterea, ut quis inter « electos » ascribi possit, requiritur ab eo fides illuminata deliberataque voluntas recipiendi sacramenta Ecclesiæ. Electione autem facta, incitabitur ad Christum maiore cum liberalitate sequendum.

135. Ad Ecclesiam autem quod attinet, electio est veluti centrum attentæ erga eosdem catechumenos sollicitudinis. Episcopus, presbyteri, diaconi, catechistæ, patrini et tota loci communitas, suo quisque ordine et modo, de institutione et profectu catechumenorum, re diligentissime perpensa, sententiam ferant. Denique electos oratione amplectantur, ut tota Ecclesia eos secum obviam Christo conducat.

136. Tunc publice patrini, a catechumenis antea de consensu sacerdotis electi et, quantum fieri potest, a communitate locali accepti, ministerium suum primum exercent: iam nominantur in principio ritus et accedunt cum catechumenis (n. 143), pro his coram communitate testimonium dicunt (n. 144), et, pro opportunitate, cum eis nomen inscribunt (n. 146).

137. Ut autem rerum veritati satisfiat, oportet ut, ante ritum liturgicum, de idoneitate candidatorum habeatur deliberatio ab iis quorum interest, ab iis videlicet in primis qui institutioni catechumenatus præsunt, presbyteri, diaconi et catechistæ, necnon a patrinis delegatisque communitatis loci; immo, si casus ferat, cum participatione cœtus catechumenorum. Quæ deliberatio, secundum condiciones regionis et postulata pastoralia, poterit varias formas exhibere. Ipsa autem acceptio postea intra ritum liturgicum a celebrante nota fiet.

138. Celebrantis munus est, scilicet Episcopi vel eius vice fungentis, quamvis remota vel proxima fuerit pars eius in deliberatione prævia, sive in homilia sive cursu ritus manifestare quæ sit religiosa et ecclesiastica indoles « electionis ». Ad illum ergo pertinet

tum sententiam Ecclesiæ proferre coram astantibus eorumque iudicium, pro opportunitate, audire, tum a catechumenis personalem voluntatis manifestationem exquirere, tum, nomine Christi et Ecclesiæ agendo, admissionem « electorum » peragere. Præterea omnibus aperiat divinum mysterium, quod in vocatione Ecclesiæ et in eius celebratione liturgica continetur; fidelesque admoneat ut una cum electis, quibus exemplum præbeant, ad sollemnia paschalia se præparent.

139. Cum sacramenta initiationis in sollemnitatibus paschalibus celebrentur eorumque præparatio ad indolem Quadragesimæ propriam pertineat, ritus electionis fiat ex more dominica prima in Quadragesima, et tempus ultimæ competentium præparationis conveniat cum tempore quadragesimali, cuius curriculum, sive propter structuram eius liturgicam sive propter participationem communitatis, electis proderit. Attamen, urgentibus causis pastoralibus (præsertim in stationibus secundariis missionum), ritum celebrare licet præcedente vel sequente hebdomada.

140. Ritus fiat in ecclesia vel, pro necessitate, in loco convenienti et apto. Celebretur intra Missam primæ dominicæ in Quadragesima, post homiliam.

141. Si forte celebratur extra hanc dominicam, initium fiat a liturgia verbi. Quo in casu, si lectiones diei rei non congruant, seligantur lectiones ex iis quæ assignantur dominicæ primæ in Quadragesima (cf. Ordinem lectionum Missæ, nn. 22-24), vel aliæ aptæ. Missa ritualis propria (n. 374 bis) semper celebrari potest. Si autem Eucharistia non celebratur, ritus absolvatur dimissione omnium una cum catechumenis.

142. Homilia, adiunctis accommodata, præter catechumenos etiam totam communitatem fidelium respiciat, ita ut hi exemplum bonum præbere nitentes, una cum electis viam mysterii paschalis arripiant.

Præsentatio candidatorum

143. Homilia peracta, sacerdos initiationi catechumenorum præpositus vel diaconus vel catechista vel delegatus communitatis, eligendos præsentat, his vel similibus verbis:

Reverénde Pater, paschálibus sollémniis mox redeúntibus, catechúmeni hic præséntes, divína freti grátia et précibus exemplóque communitátis adiúti, humíliter petunt, ut,

post débitam præparatiónem et scrutiniórum celebratiónem, ad sacraménta Baptísmi, Confirmatiónis et Eucharístiæ participánda admittántur.

Celebrans respondet:

Accédant qui eligéndi sunt, una cum patrínis (matrínis) suis.

Tunc singuli nominatim vocantur et unusquisque, cum patrino (matrina) procedens, coram celebrante consistit.

Si numerosiores sunt, omnium simul fiat præsentatio, v. g. peragatur a singulis catechistis, quorum interest; quibus etiam catechistis suadetur ut in aliqua celebratione prævia suos quisque candidatos nominatim vocent antequam ad ritum communem accedant.

144. Celebrans, si nullam partem habuerit in deliberatione prævia (cf. n. 137), astantes alloquitur, his vel similibus verbis:

Ecclésia sancta Dei cértior fíeri nunc exóptat an hi catechúmeni reperiántur idónei, qui ad ventúra Páschatis sollémnia celebránda in electórum órdinem assumántur.

Ad patrinos autem conversus:

Ideo vos patrínos (et matrínas) rogo, ut testimónium dicátis: Audierúntne fidéliter verbum Dei annuntiátum ab Ecclésia?

Patrini:

Fidéliter audiérunt.

Celebrans:

Cœpérunt coram Deo ambuláre, verbum accéptum servántes?

Patrini:

Cœpérunt.

Celebrans:

Adhæsérunt communióni fratérnæ et oratiónibus?

Patrini:

Adhæsérunt.

Postea, si casus ferat, celebrans totam congregationem interrogat de eius assensu.

[**145.**] Si vero maluerit celebrans, qui habuerit partem deliberationis præviæ de idoneitate candidatorum (cf. n. 137), hæc vel similia verba potest proferre:

Fratres dilectíssimi, catechúmeni isti petiérunt, ut próximis festis paschálibus Ecclésiæ sacraméntis initiéntur. Qui eos notos habent, iudicavérunt sincérum esse eórum desidérium. Verbum enim Christi iam diu audiérunt, conáti sunt vívere secúndum mandáta eius; partem habuérunt fratérnæ communiónis et oratiónum. Nunc totam congregatiónem certiórem fácio consílium communitátis statuísse eos ad sacraménta vocáre. Quam senténtiam vobis notam fáciens et patrínos álloquens, peto ab ipsis, ut íterum coram vobis suffrágium suum ásserant.

Ad patrinos autem conversus:

Iudicátis coram Deo candidátos dignos esse, qui ad sacraménta initiatiónis christiánæ admittántur?

Patrini:

Eos dignos esse iudicámus.

Postea, si casus ferat, celebrans totam congregationem interrogat de eius assensu.

Candidatorum interrogatio et postulatio

146. Tunc celebrans, respiciens catechumenos, his vel similibus verbis eos admonet et interrogat:

Nunc vos, dilécti catechúmeni, álloquor. Patríni vestri et catechístæ (necnon tota commúnitas) bonum de vobis testimónium reddidérunt. Quorum suffrágio confísa, in nómine Christi Ecclésia vos ad sacraménta paschália ádvocat. Nunc

ígitur vestrum est, qui iam diu vocem Christi audivístis, respónsum coram Ecclésia réddere, aperiéndo mentem vestram.

Vultis sacraméntis Christi, Baptísmo, Confirmatióne et Eucharístia initiári?

Catechumeni:

Vólumus.

Celebrans:

Faveátis ergo nómina vestra dare.

Candidati, vel ad celebrantem cum patrinis accedentes vel in loco suo manentes, dant nomen; cuius inscriptio variis modis perfici potest. Nomen vel ab ipso candidato inscribitur, vel, clare prolatum, sive a patrino sive a sacerdote conscribitur. Si vero candidati numerosiores sunt, elenchus nominum celebranti afferri potest, hisce vel similibus verbis: Hæc sunt nómina competéntium.

Dum fit inscriptio nominum, cantus aptus, v. g. Ps 15, edi potest.

Admissio seu electio

147. Absoluta nominum inscriptione, celebrans, postquam breviter astantibus significationem peracti ritus explanavit, ad candidatos se convertit, dicens, his vel similibus verbis:

N. et N., elécti estis, ut in próxima Vigília pascháli sacris mystériis initiémini.

Catechumeni:

Deo grátias.

Prosequitur:

Nunc autem munus vestrum est, sicut et nostrum ómnium, ut, divínitus adiúti, Deo, qui fidélis est vocatióni suæ, fidelitátem vestram offerátis, et magno ánimo ad plenam electiónis vestræ veritátem perveníre contendátis.

Deinde ad patrinos conversus, celebrans eos admonet, his vel similibus verbis:

Catechúmenos, de quibus testimónium reddidístis, com-

mendátos in Dómino habeátis, eos fratérna ope vestra et exémplo prosequéntes usque ad divínæ vitæ sacraménta.

Et invitat eos ut manum ponant in umerum candidatorum, quos assumunt, vel alium faciant gestum, quo idem significetur.

Deprecatio pro electis

148. Postea communitas deprecationem facit, his vel similibus verbis:

Celebrans:

Caríssimi fratres, salutífera passiónis et resurrectiónis mystéria præstolántes, hódie viam Quadragésimæ intrámus. Elécti, quos nobíscum ad paschália sacraménta dúcimus, renovatiónis nostræ exémplum exspéctant. Pro ipsis ergo et nobis Dóminum precémur, ut, mútua instauratióne permóti, paschálibus grátiis digni efficiámur.

Lector:

Pro catechúmenis, ut, diéi electiónis suæ mémores, pro cælésti benedictióne grati perpétuo máneant, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Lector:

Ut opportunitáte témporis uténtes, labóres abrenuntiatiónis sustíneant et sanctificatiónis ópera nobíscum exsequántur, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Lector:

Pro catechístis eórum, ut dulcédinem verbi Dei quæréntibus exhíbeant, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Lector:

Pro patrínis eórum, ut contínuum Evangélii usum in vita

priváta et in societátis commércio catechúmenis osténdant, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Lector:

Pro famíliis eórum, ut, nullum eis interponéntes impediméntum, ad sequéndum pótius Spíritus instínctum eos ádiuvent, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Lector:

Pro congregatióne nostra, ut hoc quadragesimáli témpore plenitúdine caritátis et perseverántia in oratióne refúlgeat, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Lector:

Pro ómnibus qui dubitatiónibus adhuc tenéntur, ut, Christo fidéntes, ad communiónem fraternitátis nostræ incunctánter advéniant, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

In supradicta deprecatione addatur petitio consueta pro necessitatibus Ecclesiæ et totius mundi, si deinde, dimissis catechumenis, oratio universalis omittitur in Missa (cf. n. 151).

Alia forma deprecationis ad libitum, n. 375.

149. Celebrans, manus super electos extendens, deprecationem hac oratione concludit:

Deus, qui humáni géneris ita es cónditor,
ut sis étiam reformátor,
propitiáre fíliis adoptiónis,
et novo testaménto sóbolem novæ prolis ascríbe,
ut, fílii promissiónis effécti,
quod non potuérunt ássequi per natúram,
gáudeant se recepísse per grátiam.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Vel alia oratio conclusiva ad libitum:

Omnípotens dilectíssime Pater,
qui ómnia vis instauráre in Christo
hominésque trahis ad illum,
hos Ecclésiæ eléctos régere dignéris, et concéde,
ut, accéptæ vocatióni fidéles,
in regnum Fílii tui ædificári
et Spíritu promissiónis Sancto signári mereántur.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

Dimissio electorum

150. Postea celebrans electos dimittit, hac vel simili monitione:

Dilectíssimi elécti, quadragesimálem viam nobíscum intrástis. Christus vobis erit via, véritas et vita, præsértim próximis scrutíniis, in quibus nobíscum conveniétis. Nunc ite in pace.

Electi:

Amen.

Electi exeunt. Si autem propter graviores rationes egredi nequeant (cf. Prænotanda, n. 19, § 3) et cum fidelibus manere debeant, caveatur, etiamsi Eucharistiæ adsint, ne partem habeant ad modum baptizatorum.

Si autem Eucharistia non celebretur, cantus aptus pro opportunitate addatur, et fideles una cum electis dimittantur.

Celebratio Eucharistiæ

151. Postquam electi recesserunt, Eucharistia celebratur. Continuo incipit oratio universalis pro Ecclesiæ et totius mundi necessitatibus. Dicitur postea, si casus ferat, Credo et fit præparatio donorum. Attamen, propter rationes pastorales, orationem universalem et Credo omittere licet.

DE TEMPORE PURIFICATIONIS ET ILLUMINATIONIS EIUSQUE RITIBUS

152. Hoc tempore, quod ex more in Quadragesimam incidit et ab « electione » incipit, catechumeni una cum communitate loci recollectioni spirituali se dedunt, ut ad festa paschalia et ad sacramentorum initiationem se præparent. Ad hunc finem eis offeruntur scrutinia, traditiones et ritus immediate præparatorii.

Scrutinia et traditiones

153. In Quadragesima, quæ sacramenta initiationis præcedit, fiunt scrutinia et traditiones. Quibus ritibus præparatio spiritualis et catechetica electorum, seu « competentium », completur et per totum tempus Quadragesimæ protrahitur.

I. Scrutinia

154. Spiritualis præcipue est finis scrutiniorum, quæ ope exorcismorum perficiuntur. Scrutiniis enim propositum est purificare mentes et corda, contra tentationes munire, intentiones convertere et voluntates excitare, ut arctius Christo adhæreant et suum catechumeni Dei diligendi studium fortius prosequantur.

155. A competentibus postulatur voluntas perveniendi ad sensum intimum Christi et Ecclesiæ, et maxime profectus in sincera sui cognitione, seria animi discussione et vera pænitentia, exspectatur.

156. In ritu exorcismi, a sacerdotibus vel diaconis celebrato, electi, de mysterio Christi a peccato liberantis eruditi a Matre Ecclesia, solvuntur a sequelis peccati et a diabolico influxu, roborantur in itinere suo spirituali, et corda aperiunt ad dona Salvatoris recipienda.

157. Ad excitandum desiderium purificationis et redemptionis Christi, tria fiunt scrutinia, sive ut catechumeni paulatim doceantur de illo mysterio peccati, a quo mundus universus et quivis homo redimi exoptat, ut a sequelis eius præsentibus ac futuris liberentur; sive ut animi imbuantur sensu Christi Redemptoris, qui est aqua viva (cf. Evangelium de muliere samaritana), lux (cf. Evangelium de cæco nato), resurrectio et vita (cf. Evangelium de Lazaro suscitato). A primo usque ad ultimum scrutinium progressum fieri oportet in cognitione peccati et desiderio salutis.

158. Scrutinia celebrentur a sacerdote vel a diacono, communitati præsidente, ut ex liturgia scrutiniorum etiam fideles utilitatem capiant et in deprecationibus pro electis intercedant.

159. Scrutinia fiant in Missis scrutiniorum, quæ habentur dominica III, IV et V in Quadragesima; seligantur lectiones seriei « A » cum suis cantibus, prout in Ordine lectionum Missæ assignantur (nn. 745, 746, 747). Quæ, si his dominicis propter rationes pastorales fieri nequeant, eligantur aliæ dies dominicæ in Quadragesima, vel etiam feriæ magis convenientes. Semper tamen prima Missa scrutiniorum sit Missa de muliere Samaritana, secunda de cæco nato, tertia de Lazaro.

Primum scrutinium

160. Primum scrutinium celebratur dominica III in Quadragesima, adhibitis formulis quæ in Missali et Lectionario apponuntur (cf. etiam infra, nn. 376-377).

Homilia

161. In homilia celebrans, in lectionibus Scripturæ sacræ innixus, rationem primi scrutinii exponit, attentis tum liturgia quadragesimali tum itinere spirituali electorum.

Oratio in silentio

162. Post homiliam, electi cum patrinis et matrinis coram celebrante consistunt.

Qui, fideles primo respiciens, invitat eos ut in silentio orent pro electis, spiritum pænitentiæ et sensum peccati veramque filiorum Dei libertatem implorantes.

Deinde, ad catechumenos conversus, eos pariter invitat ad orandum in silentio admonetque, ut sensum pænitentiæ etiam corporaliter significent sive inclinati, sive genua flectentes. Postremo concludit, his vel similibus verbis:

Elécti Dei, cápita inclinántes (vel: génua flecténtes), oráte.

Tunc electi se inclinant vel genua flectunt. Et omnes orant per aliquod tempus in silentio. Deinde, pro opportunitate, omnes se erigunt.

Deprecatio pro electis

163. Dum fit deprecatio pro electis, patrini et matrinæ dexteram umero uniuscuisque electi imponunt.

Celebrans:

Orémus pro his eléctis, quos fidénter Ecclésia post longum iam iter elégit, ut, perfécta præparatióne, in festis paschálibus Christum in sacraméntis eius invéniant.

Lector:

Ut verba divína in corde suo cónferant eáque de die in diem penítius sápiant, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Lector:

Ut Christum cognóscant, qui venit salváre quod períerat, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Lector:

Ut seípsos corde húmili peccatóres profiteántur, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Lector:

Ut sincére réspuant quod in móribus suis Christo displícuit eíque adversátur, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Lector:

Ut Spíritus Sanctus, qui corda ómnium scrutátur, infirmitátem eórum virtúte sua róboret, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Lector:

Ut ab eódem Spíritu ipsi edíscant quæ Dei sunt et Deo pláceant, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Lector:

Ut et famíliæ eórum spem suam in Christo cóllocent et in eo pacem et sanctitátem invéniant, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Lector:

Ut nos ipsi, ad præparánda festa paschália, mentes emendémus, corda erigámus et caritátis ópera peragámus, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Lector:

Ut in mundo univérso infírma roboréntur, confrácta erigántur, pérdita inveniántur et invénta redimántur, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Variis adiunctis licet monitionem celebrantis et invocationes accommodare. Præterea petitio consueta pro necessitatibus Ecclesiæ et totius mundi addatur, si deinde, dimissis catechumenis, oratio universalis omittitur in Eucharistia (cf. n. 166).

Alia forma deprecationis ad libitum, n. 378.

Exorcismus

164. Post deprecationem celebrans, ad electos conversus, dicit manibus iunctis:

Orémus.

Deus, qui Fílium tuum Salvatórem nobis misísti,
præsta, ut hi catechúmeni,
qui aquam vivam hauríre cúpiunt sicut Samaritána múlier,
verbo domínico convérsi,
própriis se fateántur peccátis et infirmitátibus præpedítos.
Ne eos permíttas, quǽsumus,
ináni in se fidúcia confísos,
diabólica décipi potestáte,
sed eos a spíritu falláciæ líbera,

ut, sua mala agnoscéntes,
intérius mundári viámque salútis ággredi mereántur.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

Deinde unicuique electo, si commode fieri potest, celebrans manum silens imponit.

Postea, manibus extensis super electos, celebrans pergit:

Dómine Iesu, tu es fons ad quem isti sítiunt
et magíster quem exquírunt.
Coram te, qui solus es sanctus,
innocéntes se dícere non audent.
Sua fidénter apériunt corda,
sordes confiténtur, vúlnera détegunt ignóta.
Tu ergo eos ab infirmitátibus amánter líbera,
ægros restáura, sitiéntes pota, eísque pacem largíre.
In virtúte nóminis tui, quod in fide invocámus,
adésto nunc et salva.
Impera malígno spirítui, quem resurgéndo vicísti.
Eléctis tuis iter osténde in Spíritu Sancto,
ut, ad Patrem gradiéntes, eum in veritáte adórent.
Qui vivis et regnas in sǽcula sæculórum.

Omnes:

Amen.

Alia forma exorcismi ad libitum, n. 379.

Pro opportunitate fit cantus aptus, qui seligetur v. g. inter psalmos 6, 25, 31, 37, 38, 39, 50, 114, 129, 138, 141.

Dimissio electorum

165. Postea celebrans electos dimittit, dicens:

Ite in pace, et ad próximum scrutínium conveniátis. Dóminus sit semper vobíscum.

Electi:

Amen.

Electi exeunt. Si autem propter graviores rationes egredi nequeant, fiat sicut in ordine ad catechumenos faciendos, n. 96.

Si vero Eucharistia non celebratur, cantus aptus pro opportunitate addatur, et fideles una cum electis dimittantur.

Celebratio Eucharistiæ

166. Postquam electi recesserunt, celebratur Eucharistia. Continuo incipit oratio universalis pro Ecclesiæ et totius mundi necessitatibus. Dicitur postea Credo et fit præparatio donorum; attamen, propter rationes pastorales, orationem universalem et Credo omittere licet. In Prece eucharistica memoria habeatur de electis et patrinis (cf. nn. 377 et 412).

Secundum scrutinium

167. Secundum scrutinium celebratur dominica IV in Quadragesima, adhibitis formulis quæ in Missali et Lectionario apponuntur (cf. etiam infra, nn. 380-381).

Homilia

168. In homilia celebrans, in lectionibus Scripturæ sacræ innixus, rationem secundi scrutinii exponit, attentis tum liturgia quadragesimali tum itinere spirituali electorum.

Oratio in silentio

169. Post homiliam, electi cum patrinis et matrinis coram celebrante consistunt.

Qui, fideles primo respiciens, invitat eos ut in silentio orent pro electis, spiritum pænitentiæ et sensum peccati veramque filiorum Dei libertatem implorantes.

Deinde, ad catechumenos conversus, illos pariter invitat ad orandum cum silentio admonetque, ut sensum pænitentiæ etiam corporaliter exprimant sive inclinati, sive genua flectentes. Postremo concludit his vel similibus verbis:

Eléсti Dei, cápita inclinántes (vel: génua flecténtes), oráte.

Tunc electi se inclinant vel genua flectunt. Et omnes orant per aliquod tempus in silentio. Deinde, pro opportunitate, omnes se erigunt.

Deprecatio pro electis

170. Dum fit deprecatio pro electis, patrini et matrinæ dexteram umero uniuscuisque electi imponunt.

Celebrans:

Orémus pro his eléctis, quos vocávit Deus, ut in ipso sancti máneant et de verbis vitæ ætérnæ válidum reddant testimónium.

Lector:

Ut ipsi, veritáti Christi fidéntes, libertátem mentis et cordis consequántur et perpétuo consérvent, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Lector:

Ut, sapiéntiam crucis contemplántes, gloriári queant in Deo, qui sapiéntiam huius sǽculi confúndit, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Lector:

Ut, in virtúte Spíritus Sancti liberáti, a timóre in fidúciam convertántur, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Lector:

Ut, hómines spirituáles effécti, quæ sunt iusta et sancta probáre stúdeant, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Lector:

Ut omnes, qui pro Christi nómine persecutiónem patiúntur, ab ipso adiuvéntur, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Lector:

Ut famíliæ et pópuli, qui a fide amplecténda deterréntur, libertáte credéndi Evangélio donéntur, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Lector:

Ut nos, mundi cognitióne exérciti, evangélico spirítui fidéles maneámus, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Lector:

Ut mundus univérsus, a Patre diléctus, ad plenam spiritualémque in Ecclésia libertátem váleat accédere, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Variis adiunctis licet monitionem celebrantis et invocationes deprecationis accommodare. Præterea petitio consueta pro necessitatibus Ecclesiæ et totius mundi addatur, si deinde, dimissis electis, oratio universalis omittitur in Eucharistia (cf. n. 173).

Alia forma deprecationis ad libitum, n. 382.

Exorcismus

171. Post deprecationem, celebrans, ad electos conversus, dicit manibus iunctis:

Orémus.

Clementíssime Pater, qui cæco nato dedísti,
ut in Fílium tuum créderet
et per hanc fidem ad lúminis tui regnum accéderet,
fac ut elécti tui, hic præséntes,
liberéntur a falláciis, quibus circumvénti obcæcántur,
eísque concéde, ut, fírmiter in veritáte radicáti,
fílii lucis efficiántur

et in perpétuum máneant.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:
Amen.

Deinde unicuique electo, si commode fieri potest, celebrans manum silens imponit.

Postea, manibus extensis super electos, celebrans pergit:

Dómine Iesu, lux vera, quæ omnem illúminas hóminem,
líbera, per Spíritum veritátis,
omnes qui sub iugo patris mendácii vexántur,
et in eis, quos ad sacraménta tua elegísti,
bonam súscita voluntátem,
ut, lúminis tui gáudio fruéntes,
sicut cæcus ad claritátem olim restitútus,
fídei testes firmi et impávidi evádant.
Qui vivis et regnas in sǽcula sæculórum.

Omnes:
Amen.

Alia forma exorcismi ad libitum, n. 383.

Pro opportunitate fit cantus aptus, qui seligetur v. g. inter psalmos 6, 25, 31, 37, 38, 39, 50, 114, 129, 138, 141.

Dimissio electorum

172. Postea celebrans electos dimittit, dicens:

Ite in pace, et ad próximum scrutínium conveniátis. Dóminus sit semper vobíscum.

Electi:
Amen.

Electi exeunt. Si autem propter graviores rationes egredi nequeant, fiat sicut in ordine ad catechumenos faciendos, n. 96.

Si vero Eucharistia non celebratur, cantus aptus pro opportunitate addatur, et fideles una cum electis dimittantur.

Celebratio Eucharistiæ

173. Postquam electi recesserunt, celebratur Eucharistia. Continuo incipit oratio universalis pro Ecclesiæ et totius mundi necessitatibus. Dicitur postea Credo et fit præparatio donorum; attamen, propter rationes pastorales, orationem universalem et Credo omittere licet. In Prece eucharistica memoria habeatur de electis et patrinis (cf. nn. 377 et 412).

Tertium scrutinium

174. Tertium scrutinium celebratur dominica V in Quadragesima, adhibitis formulis quæ in Missali et Lectionario apponuntur (cf. etiam infra, nn. 384-385).

Homilia

175. In homilia celebrans, in lectionibus Scripturæ sacræ innixus, rationem tertii scrutinii exponit, attentis tum liturgia quadragesimali tum itinere spirituali electorum.

Oratio in silentio

176. Post homiliam, electi cum patrinis et matrinis coram celebrante consistunt.

Qui, fideles primo respiciens, invitat eos ut in silentio orent pro electis, spiritum pænitentiæ, sensum mysterii peccati et mortis, necnon filiorum Dei spem vitæ æternæ implorantes.

Deinde, ad catechumenos conversus, illos pariter invitat ad orandum cum silentio admonetque, ut sensus pænitentiæ etiam corporaliter exprimant sive inclinati, sive genua flectentes. Postremo concludit, his vel similibus verbis:

Elécti Dei, cápita inclinántes (vel: génua flecténtes), oráte.

Tunc electi se inclinant vel genua flectunt. Et omnes orant per aliquod tempus in silentio. Deinde, pro opportunitate, omnes se erigunt.

Deprecatio pro electis

177. Dum fit deprecatio pro electis, patrini et matrinæ dexteram umero uniuscuisque electi imponunt.

Celebrans:

Orémus pro his fámulis, quos elégit Deus ut, morti et

resurrectióni Christi confórmes effécti, mortis acérbam sortem, grátia sacramentórum, váleant superáre.

Lector:

Ut advérsus quáslibet mundi fallácias fide roboréntur, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Lector:

Ut grati máneant quod, ab ætérnæ spei ignorántia, Dei electióne erépti, viam salútis ingréssi sunt, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Lector:

Ut exémplo et intercessióne catechumenórum, qui pro Christo sánguinem fudérunt, in spem vitæ ætérnæ erigántur, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Lector:

Ut a peccáto, quo vita evértitur, omnes abhórreant, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Lector:

Ut qui morte suórum affligúntur, consolatiónem in Christo invéniant, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Lector:

Ut nos ipsi, redeúntibus paschálibus sollemnitátibus, spe resurgéndi cum Christo firmémur, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Lector:

Ut mundus univérsus, ex dilectióne a Deo creátus, proféctu fídei et caritátis vivificétur, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Variis adiunctis licet monitionem celebrantis et invocationes deprecationis accommodare. Præterea petitio consueta pro necessitatibus Ecclesiæ et totius mundi addatur, si deinde, demissis electis, oratio universalis omittitur in Eucharistia (cf. n. 180).

Alia forma deprecationis ad libitum, n. 386.

Exorcismus

178. Post deprecationem, celebrans, ad electos conversus, dicit manibus iunctis:

Orémus.

Pater vitæ ætérnæ,
qui Deus es non mortuórum sed vivórum,
et Fílium tuum vitæ præcónem misísti,
ut hómines, de mortis regno erépto s,
ad resurrectiónem addúceres,
hos eléctos líbera, quǽsumus,
a mortífera spíritus malígni potestáte,
ut novam Christi resuscitáti vitam accípere
et testificári váleant.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

Deinde unicuique electo, si commode fieri potest, celebrans manum silens imponit.

Postea, manibus extensis super electos, celebrans pergit:

Dómine Iesu, qui, Lázarum a mórtuis súscitans,
præsignásti te venísse ut hómines vitam habérent
et abundántius accíperent,
líbera a morte eos, qui vitam tuis éxpetunt sacraméntis,

solve eos a spíritu pravitátis
eísque per Spíritum tuum vivificántem
commúnica fidem, spem et caritátem,
ut, tecum semper vivéntes,
glóriam resurrectiónis tuæ partícipent.
Qui vivis et regnas in sǽcula sæculórum.

Omnes:
Amen.

Alia forma exorcismi ad libitum, n. 387.

Pro opportunitate, editur cantus aptus, qui seligetur v. g. inter psalmos 6, 25, 31, 37, 38, 39, 50, 114, 129, 138, 141.

Dimissio electorum

179. Postea celebrans electos dimittit, dicens:

Ite in pace, et Dóminus sit semper vobíscum.

Electi:
Amen.

Electi exeunt. Si autem propter graviores rationes egredi nequeant, fiat sicut in ordine ad catechumenos faciendos, n. 96.

Si vero Eucharistia non celebratur, cantus aptus pro opportunitate addatur, et fideles una cum electis dimittantur.

Celebratio Eucharistiæ

180. Postquam electi recesserunt, celebratur Eucharistia. Continuo incipit oratio universalis pro Ecclesiæ et totius mundi necessitatibus. Dicitur postea Credo et fit præparatio donorum; attamen, propter rationes pastorales, orationem universalem et Credo omittere licet. In Prece eucharistica memoria habeatur de electis et patrinis (cf. nn. 377 et 412).

II. TRADITIONES

181. Si nondum factæ sunt antea (cf. nn. 125-126), celebrandæ sunt post scrutinia « traditiones », quibus, institutione catechumenorum perfecta vel a tempore congruo incepta, Ecclesia ipsis peramanter mandat documenta, quæ fidei et orationis suæ compendium ab antiquitate habentur.

182. Optandum est ut coram communitate fidelium fiant post liturgiam verbi Missæ ferialis, cum lectionibus « traditionibus » congruentibus.

TRADITIO SYMBOLI

183. Prima occurrit «traditio Symboli », quod electi memoriæ commendabunt, deinde publice reddent (cf. nn. 194-199), antequam iuxta illud fidem suam die Baptismi profiteantur.

184. Traditio Symboli fit infra hebdomadam post primum scrutinium. Pro opportunitate etiam tempore catechumenatus celebrari potest (cf. nn. 125-126).

Lectiones et homilia

185. Loco lectionum, quæ feriæ assignantur, legantur pericopæ congruentes, v. g.:

Lectio I. Deut 6, 1-7: « Audi, Israel: Diliges Dominum ex toto corde tuo ».
Locutus est Moyses populo, dicens: Hæc sunt præcepta ...

Psalmus responsorius. Ps. 18, 8. 9. 10. 11.
℟. (Io. 6, 68): Domine, verba vitæ æternæ habes.

Lectio II. Rom 10, 8-13: Fidei confessio credentis in Deum.
Fratres: Quid dicit Scriptura? ...
Vel 1 Cor 15, 1-8a (longior) vel 1-4 (brevior): « Per Evangelium salvamini, qua ratione evangelizaverim vobis si tenetis ».
Notum vobis facio, fratres, Evangelium ... 8 novissime autem omnium visus est et mihi.

Versus ante Evangelium. Io 3, 16: Sic dilexit Deus mundum, ut Filium suum unigenitum daret; omnis qui credit in eum habet vitam æternam.

Evangelium. Mt 16, 13-8: « Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam ».
In illo tempore: Venit Iesus in partes Cæsareæ Philippi ...
Vel Io 12, 44-50: « Ego lux in mundum veni, ut omnis qui credit in me in tenebris non maneat ».
In illo tempore: Clamavit Iesus et dixit ...

Sequitur homilia, in qua celebrans, in textu sacro innixus, exponit significationem et momentum Symboli tum respectu catechesis traditæ, tum pro fidei professione in Baptismo elicienda et tota vita servanda.

Traditio Symboli

186. Post homiliam diaconus dicit:

Accédant elécti, ut ab Ecclésia Sýmbolum fídei recípiant.

Tunc celebrans eos alloquitur, his vel similibus verbis:

Dilectíssimi nobis, audíte verba fídei, per quam iustificatiónem accipiétis. Pauca quidem sunt, sed magna cóntinent mystéria. Corde sincéro ea suscípite atque serváte.

Deinde celebrans incipit Symbolum, dicens:

Credo in Deum,

et prosequitur vel solus vel una cum communitate fidelium:

Patrem omnipoténtem,
creatórem cæli et terræ.
Et in Iesum Christum,
Fílium eius únicum, Dóminum nostrum:
qui concéptus est de Spíritu Sancto,
natus ex María Vírgine,
passus sub Póntio Piláto,
crucifíxus, mortuus et sepúltus;
descéndit ad ínferos;
tértia die resurréxit a mórtuis;
ascéndit ad cælos,
sedet ad déxteram Dei Patris omnipoténtis;
inde ventúrus est iudicáre vivos et mórtuos.
Credo in Spíritum Sanctum,
sanctam Ecclésiam cathólicam,
Sanctórum communiónem,
remissiónem peccatórum,
carnis resurrectiónem,
vitam ætérnam. Amen.

Pro opportunitate, adhiberi potest etiam Symbolum Nicæno-Constantinopolitanum:

Credo in unum Deum,
Patrem omnipoténtem, factórem cæli et terræ,
visibílium ómnium et invisibílium.
Et in unum Dóminum Iesum Christum,
Fílium Dei unigénitum,
et ex Patre natum ante ómnia sǽcula.
Deum de Deo, lumen de lúmine, Deum verum de Deo vero,
génitum, non factum, consubstantiálem Patri:
per quem ómnia facta sunt.
Qui propter nos hómines et propter nostram salútem
descéndit de cælis.
Et incarnátus est de Spíritu Sancto
ex María Vírgine, et homo factus est.
Crucifíxus étiam pro nobis sub Póntio Piláto;
passus et sepúltus est,
et resurréxit tértia die, secúndum Scriptúras,
et ascéndit in cælum, sedet ad déxteram Patris.
Et íterum ventúrus est cum glória, iudicáre vivos et mórtuos,
cuius regni non erit finis.
Et in Spíritum Sanctum, Dóminum et vivificántem:
qui ex Patre Filióque procédit.
Qui cum Patre et Fílio simul adorátur et conglorificátur:
qui locútus est per prophétas.
Et unam, sanctam, cathólicam et apostólicam Ecclésiam.
Confíteor unum baptísma in remissiónem peccatórum.
Et exspécto resurrectiónem mortuórum,
et vitam ventúri sǽculi. Amen.

Oratio super electos

187. Postea celebrans fideles ad orandum invitat, his vel similibus verbis:

Orémus pro eléctis nostris,
ut Deus et Dóminus noster
adapériat aures præcordiórum ipsórum

ianuámque misericórdiæ,
ut per lavácrum regeneratiónis,
accépta remissióne ómnium peccatórum,
et ipsi inveniántur in Christo Iesu Dómino nostro.

Omnes orant in silentio.

Deinde celebrans, manibus super electos extensis, ait:

Ætérnam ac iustíssimam pietátem tuam
deprecámur, Dómine,
fons lúminis et veritátis,
pro his fámulis tuis N. et N.:
munda eos et sanctífica; da eis sciéntiam veram,
firmam spem, sanctámque doctrínam
ut digni efficiántur accédere ad grátiam Baptísmi.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

TRADITIO ORATIONIS DOMINICÆ

188. Electis etiam « Oratio dominica » traditur, quæ ab antiquitate propria est eorum qui spiritum adoptionis filiorum Baptismate acceperunt, et quam neophyti in prima celebratione Eucharistiæ, cuius partem habebunt, una cum ceteris baptizatis dicent.

189. Traditio Orationis dominicæ fit infra hebdomadam post tertium scrutinium. Pro opportunitate etiam celebrari potest intra tempus catechumenatus (cf. nn. 125-126). Pro necessitate insuper eam differre licet cum ritibus immediate præparatoriis (cf. nn. 193 ss).

Lectiones et cantus

190. Loco lectionum, quæ feriæ assignantur, legantur pericopæ congruentes, v. g.:

Lectio I. Os 11, 1b. 3-4. 8c-9: « Traham vos in vinculis caritatis ».
Hæc dicit Dominus: Puer Israel et dilexi eum ...

Psalmus responsorius. Ps 22, 1-3a. 3b-4. 5. 6.
℟. (1): Dominus pascit me, et nihil mihi deerit.

Vel Ps 102, 1-2. 8 et 10. 11-12. 13 et 18.
℟. (13): Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se.

Lectio II. Rom 8, 14-17. 26-27: « Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater! »
Fratres: Quicumque Spiritu Dei aguntur, ii filii Dei sunt ...
Vel Gal 4, 4-7: « Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem: Abba, Pater! »
Fratres: Ubi venit plenitudo temporis...

Versus ante Evangelium. Rom 8, 15: Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis, in quo clamamus: « Abba, Pater! »

Evangelium

191. Diaconus dicit:

Accédant qui acceptúri sunt Oratiónem domínicam.

Tunc celebrans electos alloquitur his vel similibus verbis:

Nunc audíte quómodo Dóminus discípulos suos dócuit oráre.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum 6, 9-13

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: « Sic vos orábitis:

Pater noster, qui es in cælis,
sanctificétur nomen tuum;
advéniat regnum tuum;
fiat volúntas tua, sicut in cælo, et in terra.
Panem nostrum cotidiánum da nobis hódie;
et dimítte nobis débita nostra,
sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris;
et ne nos indúcas in tentatiónem;
sed líbera nos a malo ».

Sequitur homilia, in qua celebrans exponit significationem et momentum Orationis dominicæ.

Oratio super electos

192. Postea celebrans, his vel similibus verbis, fideles invitat ad orandum:

Orémus pro eléctis nostris,
ut Deus et Dóminus noster
adapériat aures præcordiórum ipsórum
ianuámque misericórdiæ,
ut per lavácrum regeneratiónis,
accépta remissióne ómnium peccatórum,
et ipsi inveniántur in Christo Iesu Dómino nostro.

Omnes orant in silentio.

Deinde celebrans, manibus super electos extensis, dicit:

Omnípotens sempitérne Deus,
qui Ecclésiam tuam nova semper prole fecúndas,
auge fidem et intelléctum eléctis nostris,
ut, renáti fonte Baptísmatis,
adoptiónis tuæ fíliis aggregéntur.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

Ritus immediate præparatorii

193. Sicubi Sabbato sancto congregari possunt electi, ut recollectione mentis et oratione, ad recipienda sacramenta se disponant, proponuntur ritus sequentes, quos, pro opportunitate, vel omnes vel ex parte adhibere licet.

I. Redditio Symboli

194. Hoc ritu ad professionem fidei baptismalem præparantur electi et edocentur de officio verbum Evangelii annuntiandi.

195. Si propter necessitatem Symbolum tradi non potuerit, non reddetur.

Lectiones et homilia

196. In principio peragitur cantus aptus. Deinde legitur una ex pericopis sequentibus vel alia congruens:

Mt 16, 13-17: « Tu es Christus Filius Dei vivi ».
Io 6, 35. 63-71: « Ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes ».
Mc 7, 31-37: « Ephphetha, quod est adaperire » (dummodo ritus « Ephphetha » celebretur insimul).

Et fit brevis homilia.

197. Si insimul peragitur ritus « Ephphetha », celebratio incipit ab iis quæ infra, nn. 200-202, habentur.

Oratio ad reddendum Symbolum

198. Manibus ante pectus extensis, celebrans dicit orationem hanc:

Orémus.

Da, quǽsumus, Dómine, eléctis nostris,
qui consílium caritátis tuæ
et mystéria vitæ Christi tui accepérunt,
ut éadem ore profiteántur ac fide téneant,
et voluntátem tuam ópere cómpleant.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:
Amen.

Redditio Symboli

199. Deinde electi reddunt Symbolum:

Credo in Deum,
Patrem omnipoténtem,
creatórem cæli et terræ.
Et in Iesum Christum,

Fílium eius únicum, Dóminum nostrum:
qui concéptus est de Spíritu Sancto,
natus ex María Vírgine,
passus sub Póntio Piláto,
crucifíxus, mórtuus et sepúltus;
descéndit ad ínferos;
tértia die resurréxit a mórtuis;
ascéndit ad cælos,
sedet ad déxteram Dei Patris omnipoténtis;
inde ventúrus est iudicáre vivos et mórtuos.
Credo in Spíritum Sanctum,
sanctam Ecclésiam cathólicam,
Sanctórum communiónem,
remissiónem peccatórum,
carnis resurrectiónem,
vitam ætérnam. Amen.

Si in traditione Symboli adhibitum est Symbolum Nicæno-Constantinopolitanum, idem dicitur in redditione (cf. p. 69).

II. Ritus « Ephphetha »

200. Hoc ritu, vi proprii symbolismi, inculcatur necessitas gratiæ, ut quis verbum Dei audire et ad salutem profiteri valeat.

Lectio

201. Post cantum aptum legitur Mc 7, 31-37, quod celebrans breviter explanat.

Ritus « Ephphetha »

202. Tunc celebrans, pollice tangens dexteram et sinistram aurem singulorum electorum necnon os labiis clausum, ait:

Ephphetha, quod est adaperíre,
ut profiteáris fidem, quam audísti, in laudem et glóriam Dei

Si autem numerosiores sunt, pro primo tantum electorum adhibeatur integra formula; pro ceteris solummodo dicatur:

Ephphetha, quod est adaperíre.

III. Electio nominis christiani

203. Nomen novum, nisi antea datum sit ad normam n. 88, nunc imponi potest vel christianum vel secundum civilem cultum regionis usitatum, dummodo christiano sensu indui queat. Interdum, si casus fert et si pauci sunt electi, satis erit ut electo explanetur significatio christiana nominis antea a parentibus accepti.

Lectiones

204. Post cantum aptum, pro opportunitate fit lectio, quam celebrans breviter exponit, v. g.:

Gn 17, 1-7: « Appellaberis Abraham ».
Is 62, 1-5: « Vocabitur tibi nomen novum ».
Ap 3, 11-13: « Scribam super eum nomen meum novum ».
Mt 16, 13-18: « Tu es Petrus ».
Io 1, 40-42: « Tu vocaberis Cephas ».

Electio nominis

205. Celebrans electum interrogat de nomine, quod ipse sibi forte elegerit. Deinde, pro opportunitate (cf. n. 203), ait:

N., deínceps vocáberis N.

Electus:

Amen (vel aliud verbum conveniens).

Si autem casus ferat, explanat significationem christianam nominis antea a parentibus accepti.

IV. Unctio Olei catechumenorum

206. Unctio Olei catechumenorum, si de iudicio Conferentiæ Episcopalis servanda sit, et propter exiguitatem temporis nequeat in ipsa Vigilia paschali celebrari, die Sabbati sancti conferri potest. Ministrari licet separatim vel etiam una cum redditione Symboli sive ante, ad eam præparandam, sive post, ad eam confirmandam.

207. Oleum ab Episcopo in Missa chrismatis benedictum adhibeatur. Ob rationes pastorales [1] sacerdos illud benedicit, dicens sequentem orationem:

Deus, plebis tuæ virtus et præsídium,
qui signum róboris in ólei creatúra posuísti,
hoc óleum benedícere ✠ dignéris;
et catechúmenis, qui eo liniéntur,
concéde fortitúdinem,
ut, divínam sapiéntiam et virtútem accipiéntes,
Evangélium Christi tui áltius intéllegant,
magno ánimo labóres vitæ christiánæ aggrediántur,
et, digni adoptiónis filiórum effécti,
se in Ecclésia tua renásci et vívere læténtur.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

Postea celebrans, ad electos conversus, dicit:

Múniat vos virtus Christi Salvatóris,
in cuius signum vos óleo linímus salútis,
in eódem Christo Dómino nostro,
qui vivit et regnat in sǽcula sæculórum.

Electi:

Amen.

Singuli electi liniuntur Oleo catechumenorum in pectore vel in ambabus manibus vel etiam in aliis partibus corporis, si opportunum esse videtur. Si numerosiores sunt electi, plures ministros adhibere licet.

[1] Cf. *Ordo benedicendi Oleum catechumenorum et infirmorum et conficiendi Chrisma*, Prænotanda, n. 7.

TERTIUS GRADUS: CELEBRATIO INITIATIONIS SACRAMENTORUM

208. Cum ex more initiatio adultorum in sancta nocte Vigiliæ paschalis celebretur, sacramenta ipsa conferuntur post benedictionem aquae, ut in Ordine Vigiliæ paschalis indicatur, n. 44.

209. Si autem extra tempora consueta peragitur (cf. Prænotanda nn. 58-59), curetur ut celebratio indole paschali refulgeat (cf. Prænotanda generalia de initiatione christiana, n. 6), adhibita Missa rituali, quæ in Missali proponitur, p. 732 (cf. etiam infra, n. 388).

Celebratio Baptismi

210. Etiam quando sacramenta initiationis celebrantur extra sollemnitatem paschalem, habeatur ritus benedictionis aquæ (cf. Prænotanda generalia de initiatione christiana, n. 21), in quo per commemorationem magnalium Dei recolitur inde ab initio mundi et creatione generis humani mysterium caritatis Dei; ac deinde, per invocationem Spiritus Sancti et annuntiationem mortis et resurrectionis Christi, inculcatur novitas lavacri regenerationis Domini, quo mortem et resurrectionem eius participamus et divinam sanctitatem accipimus.

211. Abrenuntiatio Satanæ et professio fidei unus ritus sunt, qui in adultorum Baptismo plenam vim consequitur. Cum enim Baptismus sit sacramentum fidei, qua catechumeni Deo adhærent et insimul ab eo regenerantur, apte lavacro præmittitur singulorum actus, quo, sicut in primo patriarcharum fœdere præfigurabatur, ita nunc peccato et Satanæ prorsus abrenuntiant, ut in perpetuum promissioni Salvatoris et mysterio Trinitatis inhæreant. Hac professione, quam coram celebrante et communitate peragunt, significant voluntatem, tempore catechumenatus maturatam, novum cum Christo fœdus ineundi. In hac fide, quam, ab Ecclesia divinitus traditam, amplexi sunt baptizantur adulti.

212. Olei catechumenorum unctio, quæ inter abrenuntiationem et professionem fidei occurrit, potest, pro necessitate pastorali et opportunitate liturgica, anticipari (cf. nn. 206-207).

Quo in casu attendatur per eam significari necessitatem divini roboris, ut baptizandus, non obstantibus vitæ præteritæ vinculis et superata diaboli adversitate, gressum professionis fidei strenue peragat eamque totius vitæ decursu indefectibiliter teneat.

Monitio celebrantis

213. Ante litaniam baptizandi cum patrinis et matrinis accedunt ad fontem, circa quem ita consistunt, ut prospectui fidelium non officiant. Si vero baptizandi permulti sunt, accedere possunt dum cantantur litaniæ.

Celebrans, astantes alloquens, hanc vel similem monitionem habet:

Fratres dilectíssimi, misericórdiam Dei Patris omnipoténtis obsecrémus pro his fámulis Dei N. et N., qui sanctum Baptísmum póstulant. Quos ipse vocávit et ad hanc horam addúxit, eis lumen et robur largiátur, ut forti ánimo adhǽreant Christo, et fidem Ecclésiæ profiteántur. Et det eis renovatiónem Spíritus Sancti, quem instánter super hanc aquam sumus invocatúri.

Litaniæ

214. Deinde cantantur litaniæ, in quibus addi possunt aliqua nomina Sanctorum, præsertim vero Titularis ecclesiæ vel Patronorum loci et eorum qui sunt baptizandi.

Cognomina Sanctorum parenthesibus inclusa, pro opportunitate, omitti possunt, quando litaniæ lingua latina canuntur.

Kýrie, eléison
Kýrie, eléison
Christe, eléison
Christe, eléison
Kýrie, eléison
Kýrie, eléison

Sancta María, Mater Dei	ora pro nobis
Sancte Míchael	ora pro nobis
Sancti Angeli Dei	oráte pro nobis
Sancte Ioánnes Baptísta	ora pro nobis
Sancte Ioseph	ora pro nobis
Sancti Petre et Paule	oráte pro nobis
Sancte Andréa	ora pro nobis
Sancte Ioánnes	ora pro nobis

Sancta María Magdaléna ora pro nobis
Sancte Stéphane ora pro nobis
Sancte Ignáti Antiochéne ora pro nobis
Sancte Lauránti ora pro nobis
Sanctæ Perpétua et Felícitas oráte pro nobis
Sancta Agnes ora pro nobis
Sancte Gregóri ora pro nobis
Sancte Augustíne ora pro nobis
Sancte Athanási ora pro nobis
Sancte Basíli ora pro nobis
Sancte Martíne ora pro nobis
Sancte Benedícte ora pro nobis
Sancti Francísce et Domínice oráte pro nobis
Sancte Francísce (Xavier) ora pro nobis
Sancte Ioánnes María (Vianney) ora pro nobis
Sancta Catharína (Senénsis) ora pro nobis
Sancta Terésia (de Avila) ora pro nobis
Omnes Sancti et Sanctæ Dei oráte pro nobis

Propítius esto líbera nos, Dómine
Ab omni malo líbera nos, Dómine
Ab omni peccáto líbera nos, Dómine
A morte perpétua líbera nos, Dómine
Per incarnatiónem tuam líbera nos, Dómine
Per mortem et resurrectiónem tuam líbera nos, Dómine
Per effusiónem Spíritus Sancti líbera nos, Dómine

Peccatóres te rogámus, audi nos
Ut hos eléctos per grátiam Baptísmi
regeneráre dignéris te rogámus, audi nos
Iesu, Fili Dei vivi te rogámus, audi nos

Christe, audi nos
Christe, audi nos

Christe, exáudi nos
Christe, exáudi nos

Benedictio aquæ

215. Tunc celebrans, ad fontem conversus, profert benedictionem hanc:

Deus, qui invisíbili poténtia
per sacramentórum signa mirábilem operáris efféctum,
et creatúram aquæ multis modis præparásti,
ut Baptísmi grátiam demonstráret;
Deus, cuius Spíritus
super aquas inter ipsa mundi primórdia ferebátur,
ut iam tunc virtútem sanctificándi
aquárum natúra concíperet;
Deus, qui regeneratiónis spéciem
in ipsa dilúvii effusióne signásti,
ut uníus eiusdémque eleménti mystério
et finis esset vítiis et orígo virtútum;
Deus, qui Abrahæ fílios
per mare Rubrum sicco vestígio transíre fecísti,
ut plebs, a Pharaónis servitúte liberáta,
pópulum baptizatórum præfiguráret;
Deus, cuius Fílius, in aqua Iordánis a Ioánne baptizátus,
Sancto Spíritu est inúnctus,
et, in cruce pendens,
una cum sánguine aquam de látere suo prodúxit,
ac, post resurrectiónem suam, discípulis iussit:
« Ite, docéte omnes gentes,
baptizántes eos in nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti »:
Réspice in fáciem Ecclésiæ tuæ,
eíque dignáre fontem Baptísmatis aperíre.
Sumat hæc aqua Unigéniti tui grátiam de Spíritu Sancto,
ut homo, ad imáginem tuam cónditus,
sacraménto Baptísmatis
a cunctis squalóribus vetustátis ablútus,
in novam infántiam
ex aqua et Spíritu Sancto resúrgere mereátur.

Celebrans manu dextera tangit aquam et pergit:

Descéndat, quǽsumus, Dómine, in hanc plenitúdinem fontis per Fílium tuum virtus Spíritus Sancti,
ut omnes, cum Christo consepúlti per Baptísmum in mortem, ad vitam cum ipso resúrgant.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

Aliæ formulæ ad libitum, n. 389.

216. Tempore autem paschali, si præsto est aqua baptismalis in Vigilia paschali benedicta, ne desit Baptismo elementum gratiarum actionis et deprecationis, fit benedictio et invocatio Dei super aquam secundum formulas, quæ inveniuntur n. 389, ratione habita variationis textus in fine earundem formularum.

Abrenuntiatio

217. Consecratione fontis peracta, celebrans electos omnes simul interrogat:

Formula A

Abrenuntiátis Sátanæ et ómnibus opéribus et seductiónibus eius?

Electi:

Abrenúntio.

Vel

Formula B

Abrenuntiátis Sátanæ?

Electi:

Abrenúntio.

Celebrans:

Et ómnibus opéribus eius?

Electi:

Abrenúntio.

Celebrans:

Et ómnibus pompis eius?

Electi:

Abrenúntio.

Vel

Formula C

Abrenuntiátis peccáto, ut in libertáte filiórum Dei vivátis?

Electi:

Abrenúntio.

Celebrans:

Abrenuntiátis seductiónibus iniquitátis, ne peccátum vobis dominétur?

Electi:

Abrenúntio.

Celebrans:

Abrenuntiátis Sátanæ, qui est auctor et princeps peccáti?

Electi:

Abrenúntio.

Pro opportunitate, celebrans, de nomine baptizandorum a patrinis (vel a matrinis) certior factus, unumquemque interrogat, ad libitum eligens unam ex tribus formulis supradictis.

Præterea hæc tres formulae, si casus ferat, pressius accommodari possunt a Conferentiis Episcopalibus, præsertim ubi necesse est ut electi abrenuntient superstitionibus, divinationibus et magicis artibus (cf. supra n. 80).

Unctio Olei catechumenorum

218. Nisi unctio cum Oleo catechumenorum antea, inter ritus immediate præparatorios (nn. 206-207), facta sit celebrans dicit:

Múniat vos virtus Christi Salvatóris,
in cuius signum vos óleo linímus salútis,
in eódem Christo Dómino nostro,
qui vivit et regnat in sæcula sæculórum.

Electi:

Amen.

Singuli electi liniuntur Oleo catechumenorum in pectore vel in ambabus manibus vel etiam in aliis partibus corporis, si opportunum esse videtur. Si numerosiores sunt electi, plures ministros adhibere licet.

Unctio hæc omitti potest de iudicio Conferentiæ Episcopalis.

Professio fidei

219. Deinde celebrans, de nomine uniuscuiusque baptizandi tempestive iterum certior factus a patrino (vel a matrina), unumquemque interrogat:

N., credis in Deum Patrem omnipoténtem, creatórem cæli et terræ?

Electus:

Credo.

Celebrans:

Credis in Iesum Christum, Fílium eius únicum, Dóminum nostrum, natum ex María Vírgine, passum et sepúltum, qui a mórtuis resurréxit et sedet ad déxteram Patris?

Electus:

Credo.

Celebrans:

Credis in Spíritum Sanctum, sanctam Ecclésiam cathólicam, Sanctórum communiónem, remissiónem peccatórum, carnis resurrectiónem et vitam ætérnam?

Electus:

Credo.

Post professionem fidei quisque statim immergitur vel abluitur.
Quando baptizandi numerosiores sunt, professio fidei ab omnibus simul vel a pluribus simul fieri potest.

Ritus Baptismi

220. Si Baptismus fit per immersionem sive totius corporis sive capitis tantum, provideatur ut iura pudicitiæ et decoris serventur.
Celebrans, electum tangens, eum vel caput eius ter immergendo et toties erigendo, baptizat, sanctissimam Trinitatem semel tantum invocans:

N., ego te baptízo in nómine Patris,
immergit primo
et Fílii,
immergit secundo
et Spíritus Sancti.
immergit tertio

Patrinus vel matrina vel ambo baptizandum tangunt.
Post Baptismum uniuscuiusque adulti opportune profertur brevis acclamatio populi (cf. nn. 391-411).

221. Si autem Baptismus fit per infusionem, celebrans haurit aquam baptismalem e fonte et, eam ter infundens supra caput electi inclinatum, baptizat eum in nomine sanctissimæ Trinitatis:

N., ego te baptízo in nómine Patris,
fundit primo
et Fílii,
fundit secundo
et Spíritus Sancti.
fundit tertio

Patrinus vel matrina vel ambo manum dexteram super dexterum electi umerum imponit.
Post Baptismum uniuscuiusque adulti opportune profertur brevis acclamatio populi (cf. nn. 391-411).

222. Quando numerosiores sunt electi, si plures adsunt sacerdotes vel diaconi, baptizandi possunt inter singulos ministros distribui, qui immergunt eos vel abluunt, quorum singuli formulam in singulari pronuntiant dum agunt.

Dum peragitur ritus, optatur cantus populi. Licet etiam lectiones facere vel sacrum silentium servare.

Ritus explanativi

223. Post baptismum continuo peraguntur ritus explanativi (nn. 224-226). Quibus expletis, ex more, celebratur Confirmatio, ut infra (nn. 227-231), quo in casu unctio post Baptismum omittitur.

Unctio post Baptismum

[224.] Si autem celebratio Confirmationis, peculiari de causa, a Baptismo separatur, tunc, post immersionem vel infusionem aquæ, celebrans unctionem chrismatis modo consueto ministrat, dicens super omnes insimul baptizatos:

Deus omnípotens, Pater Dómini nostri Iesu Christi,
qui vos regenerávit ex aqua et Spíritu Sancto,
quique dedit vobis remissiónem ómnium peccatórum,
ipse vos linit chrísmate salútis,
ut, eius aggregáti pópulo,
Christi sacerdótis, prophétæ et regis membra permaneátis
in vitam ætérnam.

Baptizati:
Amen.

Postea celebrans singulos sacro Chrismate in vertice capitis linit, nihil dicens.
Si autem baptizati numerosiores sunt et plures adsunt presbyteri vel diaconi, singuli possunt aliquos baptizatos Chrismate linire.

Impositio vestis candidæ

225. Celebrans dicit:

N. et N., nova creatúra facti estis
et Christum induístis.
Accípite ergo vestem cándidam,

quam perferátis immaculátam
ante tribúnal Dómini nostri Iesu Christi,
ut habeátis vitam ætérnam.

Baptizati:

Amen.

Ad verba Accípite ergo vestem cándidam, patrini vel matrinæ neophytis imponunt vestem albam, nisi color aptior consuetudinibus loci requiratur.

Pro opportunitate, hic ritus omitti potest.

Traditio cerei accensi

226. Postea celebrans cereum paschalem manibus accipit vel tangit, dicens:

Accédite, patríni et matrínæ, ut lumen neóphytis tradátis.

Accedunt patrini ac matrinæ et cereum e cereo paschali accendunt, eumque neophyto porrigunt. Deinde celebrans ait:

Lux in Christo facti estis.
Ut fílii lucis indesinénter ambuláte,
ut, in fide perseverántes,
adveniénti Dómino occúrrere valeátis
cum ómnibus Sanctis in aula cæléstî.

Baptizati:

Amen.

Celebratio Confirmationis

227. Inter celebrationem Baptismi et Confirmationis, pro opportunitate, peragitur a congregatione cantus aptus.

Celebratio Confirmationis fieri potest aut in presbyterio aut in ipso baptisterio, prouti locorum adiuncta suadent.

228. Si Baptismus ab Episcopo collatus est, expedit ut ipse Confirmationem quoque statim ministret.

Absente vero Episcopo, Confirmatio dari potest a presbytero, qui Baptismum contulit.

Quando confirmandi numerosiores sunt, Confirmationis ministro ad sacramentum ministrandum sociari possunt presbyteri, qui ad hoc munus designari valent (cf. n. 46).

229. Celebrans breviter alloquitur neophytos, his vel similibus verbis:

Dilectíssimi neóphyti, in Christo regeneráti et membra Christi eiúsque pópuli sacerdotális effécti, vobis nunc súperest ut in nos effúsum accipiátis Spíritum Sanctum, qui, super Apóstolos die Pentecóstes a Dómino missus, ab ipsis eorúmque successóribus datus est baptizátis.

Vos ergo páriter accipiétis promíssam Spíritus Sancti virtútem, qua, perféctius Christo conformáti, domínicæ passiónis et resurrectiónis testimónium perhibeátis et actuósa Ecclésiæ membra efficiámini, in ædificatiónem Córporis Christi in fide et caritáte.

Deinde celebrans (habens apud se presbyteros qui ipsi sociantur) stans, manibus iunctis, versus ad populum dicit:

Orémus, dilectíssimi, Deum Patrem omnipoténtem,
ut super hos neóphytos
Spíritum Sanctum benígnus effúndat,
qui illos abundántia suórum confírmet donórum,
et unctióne sua Christi, Fílii Dei, confórmes perfíciat.

Et omnes per aliquod temporis spatium in silentio orant.

230. Deinde celebrans (et presbyteri qui ipsi sociantur) manus super omnes confirmandos imponunt. Solus autem celebrans dicit:

Deus omnípotens, Pater Dómini nostri Iesu Christi,
qui hos fámulos tuos regenerásti
ex aqua et Spíritu Sancto,
líberans eos a peccáto,
tu, Dómine, immítte in eos Spíritum Sanctum Paráclitum;
da eis spíritum sapiéntiæ et intelléctus,
spíritum consílii et fortitúdinis,

spíritum sciéntiæ et pietátis;
adímple eos spíritu timóris tui.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

231. Tunc celebranti offertur a ministro sanctum Chrisma. Unusquisque confirmandorum accedit ad celebrantem; vel pro opportunitate ipse celebrans accedit ad singulos confirmandos. Patrinus autem (vel matrina) ponit manum dexteram super umerum eius et dicit celebranti nomen eius, vel confirmandus sua sponte nomen profert.

Celebrans, summitate pollicis dexteræ manus Chrismate intincta, ducit pollice signum crucis in fronte confirmandi, dicens:

N., áccipe signáculum Doni Spíritus Sancti.

Confirmatus:

Amen.

Celebrans subdit:

Pax tibi.

Confirmatus:

Et cum spíritu tuo.

Si autem alii presbyteri ad sacramentum conferendum celebranti sociantur, ipsis omnia vascula sancti Chrismatis ab Episcopo, si adest, præbentur.

Confirmandi accedunt ad celebrantem vel ad presbyteros; aut, pro opportunitate, celebrans et presbyteri accedunt ad confirmandos, qui unguntur modo supra descripto.

Inter unctionem cani potest aliquis cantus aptus.

Celebratio Eucharistiæ

232. Omisso Symbolo, statim fit oratio universalis, quam neophyti primum participant.

Dum oblata ad altare portantur, nonnulli ex eis ea deferunt.

233. In Prece eucharistica I, mentio fiat neophytorum in Hanc ígitur, et patrinorum in Meménto (n. 377). Si sumatur Prex eucharistica II, III vel IV, addantur pro neophytis verba inserenda, quæ inveniuntur n. 391.

234. Expedit ut neophyti sacram communionem recipiant sub utraque specie, una cum patrinis, matrinis, parentibus et coniugibus, necnon catechistis laicis.

Ante communionem, id est ante Ecce Agnus Dei, celebrans neophytos breviter monere potest de pretio tanti mysterii, quod est initiationis culmen et totius vitæ christianæ centrum.

DE TEMPORE MYSTAGOGIÆ

235. Ut primi gressus neophytorum firmiores sint, optatur ut in omnibus adiunctis a communitate fidelium, a patrinis suis et a pastoribus attente et familiariter adiuventur. Omnino curetur, ut plenam et iucundam insertionem in communitatem assequantur.

236. Per totum tempus paschale, in Missis dominicalibus, loca particularia neophytis propria inter fideles serventur. Omnes neophyti studeant Missas cum patrinis suis participare. In homilia et, pro opportunitate, etiam in oratione universali de illis ratio habeatur.

237. Ad claudendum tempus mystagogiæ, in fine temporis paschalis, circa dominicam Pentecostes, habeatur aliqua celebratio, additis etiam externis festivitatibus iuxta consuetudines regionis.

238. In anniversario Baptismi optandum est ut neophyti iterum congregentur ad gratias Deo agendas, spiritualem experientiam inter se conferendam et novas sumendas vires.

239. Ad ineundum cum novis Ecclesiæ suæ membris pastorale commercium, curam habeat Episcopus, præsertim si ipse sacramentis initiationis præsidere nequierit, ut semel saltem in anno, quantum fieri potest, neophytos nuper baptizatos conveniat celebrationique Eucharisticæ præsideat, in qua ipsis sub utraque specie communicare licet.

CAPUT II

ORDO SIMPLICIOR INITIATIONIS ADULTI

240. In adiunctis extraordinariis, quando candidatus omnes gradus initiationis percurrere nequiverit, vel quando Ordinarius loci, de sinceritate conversionis christianæ candidati de eiusque religiosa maturitate diudicans, decernit ut sine mora baptismum recipiat, ipse permittere potest pro singulis casibus ut usurpetur ritus hic simplicior, in quo vel omnia uno tractu absolvuntur (nn. 245-273), vel datur etiam facultas habendi, præter celebrationem sacramentorum, unum vel alterum ritum sive catechumenatus sive temporis purificationis et illuminationis (nn. 274-277).

241. Antequam baptizetur candidatus, qui patrinum (vel matrinam) sibi elegerit (cf. Prænotanda, n. 43) communitatemque loci frequentaverit (cf. ib., nn. 12 et 19 § 2), oportet ut tempore congruo instructus et præparatus sit, quo melius rationes propter quas Baptismum petierit purificentur et conversio fidesque eius maturescere queant.

242. Præter præsentationem et receptionem candidati, ritus significat eius manifestam firmamque voluntatem petendi initiationem christianam necnon assensum Ecclesiæ; deinde, post aptam liturgiam verbi, celebratio omnium sacramentorum initiationis peragitur.

243. Ritus ex more celebratur intra Missam, cuius lectiones apte seligantur, formularium autem sumatur e Missa initiationis vel ex alia; post Baptismum et Confirmationem, neophytus celebrationis eucharisticæ primum partem habet.

244. Celebratio fiat, quantum fieri potest, die dominica (cf. Prænotanda, n. 59), cum actuosa participatione communitatis loci.

RITUS RECEPTIONIS

245. Fidelibus psalmum vel hymnum aptum pro opportunitate cantantibus, sacerdos, sacris vestibus indutus, procedit extra limen vel in atrium vel ingressum vel etiam in locum aptum ecclesiæ, ubi candidatus cum patrino (matrina) consistit, ante liturgiam verbi.

246. Celebrans candidatum humaniter salutat. Alloquens deinde eum eiusque patrinum atque circumstantes, gaudium Ecclesiæ gratumque animum significat, et patrino amicisque opportune in memoriam vocat experientiam propriam sensumque religiosum quo candidatus, iter suum spirituale secutus, ad hodiernum diem pervenit.

Deinde invitat candidatum eiusque patrinum (matrinam) ut accedant. Dum veniunt et locum occupant coram sacerdote, cantus aptus, si libet, peragitur, v. g. Ps 62, 1-9.

247. Postea celebrans, ad candidatum conversus, eum interrogat:

N., quid petis ab Ecclésia Dei?

Candidatus:

Fidem.

Celebrans:

Fides quid tibi præstat?

Candidatus:

Vitam ætérnam.

Aliis etiam verbis uti potest celebrans ad interrogandum candidatum de eius proposito, et admittere liberas responsiones: v. g., post primam interrogationem Quid petis? Quid vis? Ad quid? admittere licet verba: Grátiam Christi, vel Ingréssum in Ecclésiam, vel Vitam ætérnam, vel alia convenientia, quibus deinde celebrans interrogationes suas aptabit.

248. Postea celebrans, iterum pro necessitate accommodans sermonem suum responsionibus acceptis, candidatum denuo alloquitur, his vel similibus verbis:

Vita ætérna hæc est, ut cognóscas Deum verum et quem misit, Iesum Christum. Ipse enim, a mórtuis suscitátus, a Deo constitútus est vitæ princeps et universórum, visibílium atque invisibílium, Dóminus.

Hanc autem vitam una cum Baptísmo hódie non postuláres, nisi Christum iam notum habéres et discípulus eius fíeri voluísses. Verbum ígitur eius ántea audísti, mandáta eius serváre voluísti et communiónis fratérnæ et oratiónis partem habuísti? Hæc ómnia, ut fíeres christiánus, iam fecísti?

Candidatus:
Feci.

249. Ad patrinum (matrinam) conversus, petit:

Tu, qui huius candidáti patrínus (matrína) ádvenis, iúdicas coram Deo eum dignum esse, qui hódie ad sacraménta initiatiónis christiánæ admittátur?

Patrinus:
Eum dignum esse iúdico.

Celebrans:
Parátus es candidátum (vel: N.), pro quo testimónium reddidísti, verbo et exémplo ad serviéndum Christo íterum adiuváre?

Patrinus:
Parátus sum.

250. Tunc celebrans concludit, manibus iunctis, dicens:
Orémus.

Tibi, clementíssime Pater, pro hoc fámulo tuo grátias ágimus,
quod te iam, multímodis præveniéntem, quæsívit,
tibíque, hódie vocánti, coram Ecclésia respóndit.
Nunc ígitur concéde benígnus,
ut ad consummatiónem consílii caritátis tuæ
lætánter pervéniat.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:
Amen.

Introductio in ecclesiam

251. Deinde celebrans, his vel similibus verbis, candidatum invitat:

N., ingrédere in ecclésiam, ut partem hábeas nobíscum mensæ verbi Dei.

Et candidatus cum patrino suo (matrina sua) intrat in ecclesiam. Interea fit cantus aptus.

Liturgia verbi

252. Cum candidatus eiusque patrinus (matrina) ad sedes suas et celebrans in presbyterium pervenerint, omissis ritibus initialibus Missæ, incipit liturgia verbi.

Lectiones et homilia

253. Lectiones cum psalmis responsoriis et versibus ante Evangelium seliguntur ex iis quæ n. 388 indicantur; sumi possunt etiam lectiones dominicæ vel festivitatis occurrentis. Deinde fit homilia.

Deprecatio et ritus pænitentialis

254. Post homiliam, candidatus accedit cum patrino (matrina) coram celebrante. Tunc tota congregatio hanc deprecationem facit vel aliam similem:

Orémus pro hoc dilécto, sacraménta Christi postulánte, et pro nobis quoque peccatóribus, ut, ad Christum credénte et pæniténte ánimo gradiéntes, in novitáte vitæ indesinénter ambulémus.

Lector:

Ut in nobis ómnibus sensum veræ pæniténtiæ renováre et accéndere dignétur, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Lector:

Ut, qui per Baptísmum mórtui sumus peccáto, salváti a Christo, grátiam eius osténdere valeámus, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Lector:

Ut hic fámulus, pietáte Dei fidens et corde compúnctus, ad occúrsum Christi Salvatóris se dispónat, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Lector:

Ut Christum sequens, qui tollit peccátum mundi, ab huius peccáti contagióne sanétur eiúsque pressúra solvátur, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Lector:

Ut a Spíritu Sancto mundétur eiúsque ductu in omnem sanctitátem dirigátur, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Lector:

Ut, per sacraméntum Baptísmi cum Christo consepúltus, peccáto moriátur ac Deo semper vivat, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Lector:

Ut, ad Patrem accédens, fructus sanctitátis et caritátis áfferat, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Lector:

Ut mundus univérsus, pro quo Pater diléctum Fílium trá-

didit, dilectióni eius credat et ad eam convertátur, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Post deprecationem, candidatus, caput inclinans vel genua flectens, una cum congregatione confessionem generalem facit, quam, secundum adiuncta, omittere licet.

Oratio exorcismi et unctio catechumeni

255. Omisso Misereátur, celebrans concludit, dicens hanc orationem:

Dómine Deus omnípotens,
qui Fílium tuum unigénitum misísti,
ut hóminem, peccáti servitúte captívum,
filiórum tuórum libertáte donáres,
te humíllime pro hoc fámulo deprecámur,
ut, qui, huius mundi expértus illécebras
et diáboli tentátus insídiis,
coram te se agnóvit peccatórem,
eum passióne et resurrectióne Fílii tui
a potestáte tenebrárum erípias
et, eiúsdem Christi grátia munítum,
in itínere vitæ suæ sine intermissióne custódias.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

256. Prosequitur celebrans:

Múniat te virtus Christi Salvatóris,
in cuius signum te óleo linímus salútis
in eódem Christo Dómino nostro,
qui vivit et regnat in sǽcula sæculórum.

Omnes:

Amen.

Candidatus linitur Oleo catechumenorum in pectore vel in utraque manu vel etiam, si opportunum esse videtur, in aliis partibus corporis.

Unctio hæc omitti potest de iudicio Conferentiæ Episcopalis. Quo in casu, celebrans dicit:

Múniat te virtus Christi Salvatóris,
qui vivit et regnat in sǽcula sæculórum.

Omnes:

Amen.

Et statim manum imponit super candidatum, nihil dicens.

CELEBRATIO BAPTISMI

Monitio celebrantis

257. Postea candidatus cum patrino (matrina) ad fontem accedit. Celebrans, astantes alloquens, hanc vel similem monitionem iis adhibet:

Fratres dilectíssimi, misericórdiam Dei Patris omnipoténtis obsecrémus pro hoc fámulo Dei N., qui sanctum Baptísmum póstulat. Quem ipse vocávit et ad hanc horam addúxit, ei lumen et robur largiátur, ut forti ánimo adhǽreat Christo, et fidem Ecclésiæ profiteátur. Et det ei renovatiónem Spíritus Sancti, quem instánter super hanc aquam sumus invocatúri.

Benedictio aquæ

258. Tunc celebrans, ad fontem conversus, profert benedictionem hanc:

Deus, qui invisíbili poténtia
per sacramentórum signa mirábilem operáris efféctum,
et creatúram aquæ multis modis præparásti,
ut Baptísmi grátiam demonstráret;
Deus, cuius Spíritus
super aquas inter ipsa mundi primórdia ferebátur,
ut iam tunc virtútem sanctificándi

aquárum natúra concíperet;
Deus, qui regeneratiónis spéciem
in ipsa dilúvii effusióne signásti,
ut unius eiusdémque eleménti mystério
et finis esset vítiis et orígo virtútum;
Deus, qui Abrahæ fílios
per mare Rubrum sicco vestígio transíre fecísti,
ut plebs, a Pharaónis servitúte liberáta,
pópulum baptizatórum præfiguráret;
Deus, cuius Fílius, in aqua Iordánis a Ioánne baptizátus,
Sancto Spíritu est inúnctus,
et, in cruce pendens,
una cum sánguine aquam de látere suo prodúxit,
ac, post resurrectiónem suam, discípulis iussit:
« Ite, docéte omnes gentes,
baptizántes eos in nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti »:
Réspice in fáciem Ecclésiæ tuæ,
eíque dignáre fontem Baptísmatis aperíre.
Sumat hæc aqua Unigéniti tui grátiam de Spíritu Sancto,
ut homo, ad imáginem tuam cónditus,
sacraménto Baptísmatis
a cunctis squalóribus vetustátis ablútus,
in novam infántiam
ex aqua et Spíritu Sancto resúrgere mereátur.

Celebrans manu dextera tangit aquam et pergit:

Descéndat, quǽsumus, Dómine, in hanc plenitúdinem fontis
per Fílium tuum virtus Spíritus Sancti,
ut omnes, cum Christo consepúlti per Baptísmum in mortem,
ad vitam cum ipso resúrgant.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

Aliæ formulæ ad libitum, n. 389.

7 (5048)

Tempore autem paschali, si præsto est aqua baptismalis in Vigilia paschali benedicta, ne desit Baptismo elementum gratiarum actionis et deprecationis, fit benedictio et invocatio Dei super aquam secundum formulas, quæ invenitur n. 389, ratione habita variationis textus in fine earundem formularum.

Abrenuntiatio

259. Consecratione fontis peracta, celebrans candidatum interrogat:

Formula A

Abrenúntias Sátanæ et ómnibus opéribus et seductiónibus eius?

Candidatus:

Abrenúntio.

Vel

Formula B

Abrenúntias Sátanæ?

Candidatus:

Abrenúntio.

Celebrans:

Et ómnibus opéribus eius?

Candidatus:

Abrenúntio.

Celebrans:

Et ómnibus pompis eius?

Candidatus:

Abrenúntio.

Vel

Formula C

Abrenúntias peccáto, ut in libertáte filiórum Dei vivas?

Candidatus:

Abrenúntio.

Celebrans:

Abrenúntias seductiónibus iniquitátis, ne peccátum tibi dominétur?

Candidatus:

Abrenúntio.

Celebrans:

Abrenúntias Sátanæ, qui est auctor et princeps peccáti?

Candidatus:

Abrenúntio.

Hæ formulæ, si casus ferat, pressius accommodari possunt a Conferentiis Episcopalibus, præsertim si necesse est ut electus abrenuntiet superstitionibus, divinationibus et magicis artibus (cf. supra n. 80).

Professio fidei

260. Deinde celebrans candidatum interrogat:

N., credis in Deum Patrem omnipoténtem, creatórem cæli et terræ?

Candidatus:

Credo.

Celebrans:

Credis in Iesum Christum, Fílium eius únicum, Dóminum nostrum, natum ex María Vírgine, passum et sepúltum, qui a mórtuis resurréxit et sedet ad déxteram Patris?

Candidatus:

Credo.

Celebrans:

Credis in Spíritum Sanctum, sanctam Ecclésiam cathólicam, Sanctórum communiónem, remissiónem peccatórum, carnis resurrectiónem et vitam ætérnam?

Candidatus:

Credo.

Post suam professionem fidei, candidatus statim immergitur vel abluitur.

Ritus Baptismi

261. Si Baptismus fit per immersionem sive totius corporis sive capitis tantum, provideatur ut iura pudicitiæ et decoris serventur.

Celebrans, candidatum tangens, illum vel caput eius ter immergendo et toties erigendo, baptizat, sanctissimam Trinitatem semel tantum invocans:

N., ego te baptízo in nómine Patris,
immergit primo
et Fílii,
immergit secundo
et Spíritus Sancti.
immergit tertio

Patrinus vel matrina vel ambo baptizandum tangit.
Post Baptismum opportune profertur brevis acclamatio populi (cf. nn. 391-411).

262. Si autem Baptismus fit per infusionem, celebrans haurit aquam baptismalem e fonte, et, eam ter infundens supra caput candidati inclinatum, baptizat eum in nomine sanctissimæ Trinitatis:

N., ego te baptízo in nómine Patris,
fundit primo
et Fílii,
fundit secundo
et Spíritus Sancti.
fundit tertio

Patrinus vel matrina vel ambo manum dexteram super dexterum electi umerum imponit.

Post Baptismum opportune profertur brevis acclamatio populi (cf. n. 390).

RITUS EXPLANATIVI

Unctio post Baptismum

[263.] Si autem celebratio Confirmationis, peculiari de causa, a Baptismo separatur, tunc, post immersionem vel infusionem aquæ, celebrans unctionem Chrismatis modo consueto ministrat, dicens super baptizatum:

Deus omnípotens, Pater Dómini nostri Iesu Christi,
qui te regenerávit ex aqua et Spíritu Sancto,
quique dedit tibi remissiónem ómnium peccatórum,
ipse te linit chrísmate salútis,
ut, eius aggregátus pópulo,
Christi sacerdótis, prophétæ et regis membrum permáneas
in vitam ætérnam.

Baptizatus:

Amen.

Postea celebrans baptizatum sacro Chrismate in vertice capitis linit, nihil dicens.

Impositio vestis candidæ

264. Celebrans dicit:

N., nova creatúra factus es
et Christum induísti.
Accipe ergo vestem cándidam,
quam pérferas immaculátam
ante tribúnal Dómini nostri Iesu Christi,
ut hábeas vitam ætérnam.

Baptizatus:

Amen.

Ad verba Accipe ergo vestem cándidam, patrinus (matrina) neophyto imponit vestem albam, nisi color aptior consuetudinibus loci requiratur.

Pro opportunitate, hic ritus omitti potest.

Traditio cerei accensi

265. Postea celebrans cereum paschalem manibus accipit vel tangit, dicens:

Accéde, patríne (matrína), ut lumen neóphyto tradas.

Accedit patrinus (matrina) et cereum e cereo paschali accendit, eumque neophyto porrigit. Deinde celebrans ait:

Lux in Christo factus es.
Ut fílius lucis indesinénter ámbula,
ut, in fide persevérans,
adveniénti Dómino occúrrere váleas
cum ómnibus Sanctis in aula cæléstі.

Baptizatus:

Amen.

Celebratio Confirmationis

266. Inter celebrationem Baptismi et Confirmationis, pro opportunitate, editur a congregatione cantus aptus.

267. Si Baptismus ab Episcopo datus est, expedit ut ipse Confirmationem quoque statim ministret.

Absente vero Episcopo, Confirmatio dari potest a presbytero, qui Baptismum contulit.

268. Neophytum coram se stantem celebrans breviter alloquitur, his vel similibus verbis:

N., in Christo regenerátus et membrum Christi eiúsque pópuli sacerdotális efféctus, tibi nunc súperest ut in nos effúsum accípias Spíritum Sanctum, qui, super Apóstolos die Pentecóstes a Dómino missus, ab ipsis eorúmque successóribus datus est baptizátis.

Tu ergo páriter accípies promíssam Spíritus Sancti virtútem, qua, perféctius Christo conformátus, domínicæ passiónis et resurrectiónis testimónium perhíbeas et actuósum Ecclésiæ membrum efficiáris, in ædificatiónem Córporis Christi in fide et caritáte.

Deinde celebrans stans, manibus iunctis, versus ad populum dicit:

Orémus, dilectíssimi, Deum Patrem omnipoténtem,
ut super hunc neóphytum
Spíritum Sanctum benígnus effúndat,
qui eum abundántia suórum confírmet donórum,
et unctióne sua Christi, Fílii Dei, confórmem perfíciat.

Et omnes per aliquod temporis spatium in silentio orant.

269. Deinde celebrans, manibus super confirmandum impositis, dicit:

Deus omnípotens, Pater Dómini nostri Iesu Christi,
qui hunc fámulum tuum regenerásti
ex aqua et Spíritu Sancto,
líberans eum a peccáto,
tu, Dómine, immítte in eum Spíritum Sanctum Paráclitum;
da ei spíritum sapiéntiæ et intelléctus,
spíritum consílii et fortitúdinis,
spíritum sciéntiæ et pietátis;
adímple eum spíritu timóris tui.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

270. Tunc confirmandus accedit ad celebrantem. Patrinus autem (vel matrina) ponit manum dexteram super umerum eius et dicit celebranti nomen eius, vel confirmandus sua sponte nomen profert.

Celebrans, summitate pollicis dexteræ manus Chrismate intincta, ducit pollice signum crucis in fronte confirmandi, dicens:

N., áccipe signáculum Doni Spíritus Sancti.

Confirmatus:

Amen.

Celebrans subdit:

Pax tibi.

Confirmatus:

Et cum spíritu tuo.

Celebratio Eucharistiæ

271. Omisso Symbolo, statim fit oratio universalis, quam neophytus primum participat.

Neophytus oblata ad altare defert.

272. In Prece eucharistica I, mentio fiat neophyti in Hanc ígitur et patrini in Meménto (n. 377). Si sumatur Prex eucharistica II, III vel IV, addantur pro neophyto verba inserenda, quæ inveniuntur n. 412.

273. Expedit ut neophytus sacram communionem recipiat sub utraque specie, una cum patrino, matrina, parentibus et coniugi necnon catechistis laicis.

Ante communionem, id est ante Ecce Agnus Dei, celebrans neophytum monere breviter potest de pretio tanti mysterii, quod est initiationis culmen et totius vitæ christianæ centrum.

---

274. In adiunctis extraordinariis, uti sunt morbus, senium, mutatio commorationis, longa itinera, etc., quando:

a) candidatus non potuit totum catechumenatum vel ritu apto, incipere vel inceptum persolvere cum omnibus ritibus;

b) et aliunde bono ipsius spirituali detrimento esset si, adhibito ritu priore, privaretur beneficiis longioris præparationis,

tunc magni refert ut, cum permissione Episcopi, ritus prior augeatur uno vel pluribus elementis Ordinis completi.

275. Hic ritus auctus præbet facultatem faciendi sive ut novus aliquis candidatus alios provectiores consequatur, additis opportune ritibus initialibus Ordinis completi (v. g.: ingressu in catechumenatum, exorcismis minoribus, benedictionibus, etc.); sive ut perficiat solus

quod, inceptum cum aliis, non fuerit absolutum (v. g.: electio, ritus purificationis et illuminationis, sacramenta ipsa).

276. Accommodationes, prudentia pastorum faciendæ, provideri possunt, collatione habita inter ritum priorem et ritum auctum, modo sequenti:

1) simpliciter addendo: v. g. ritus temporis catechumenatus (nn. 106-132), traditiones (nn. 183-192);

2) dividendo et ampliando vel ritum receptionis (nn. 245-251) vel liturgiam verbi (nn. 252-256). In ritu receptionis, nn. 245-247 augeri possunt ad instar Ritus ad faciendum catechumenum (nn. 73-97); ablatis autem pro opportunitate nn. 246-247, nn. posteriores 248-249 possunt dare locum ritui electionis. In liturgia verbi, nn. 253-255 aptari possunt ad unum vel alterum scrutinium (nn. 160-179), etc.;

3) adhibendo partem huius ritus simplicioris loco aliquorum rituum Ordinis communis seu completi; vel, quando recipiuntur fautores (qui vulgo dicuntur « sympathizantes ») (cf. Prænotanda, n. 12 § 3), coniungendo ritum ad catechumenos faciendos (nn. 73-97) et electionem (nn. 143-151).

277. In usu huius ritus aucti curetur:

1) ut catechesis candidati sit integra;

2) ut ritus celebretur cum actuosa participatione alicuius congregationis;

3) ut, sacramentis acceptis, neophyto tribuatur, quantum fieri potest, tempus mystagogiæ.

CAPUT III

ORDO BREVIOR INITIATIONIS ADULTI IN PROXIMO PERICULO VEL IN ARTICULO MORTIS ADHIBENDUS

278. Qui in proximo periculo mortis versatur, sive catechumenus sive non catechumenus baptizari potest ritu breviore infrascripto (nn. 283-294), dummodo, nondum in ipso mortis articulo degens, interrogationes audire iisque respondere valeat.

279. Si est catechumenus iam receptus, promittere debet se, post recuperatas vires, catechesim consuetam absoluturum esse. Si non est catechumenus, oportet ut seria signa ostendat conversionis ad Christum et abrenuntiationis gentilitiis cultibus, neque vitæ moralis obicibus alligari videatur (v.g. polygamia « simultanea », etc.); præterea promittat se, post restitutam sanitatem, totum curriculum initiationis sibi congruentis secuturum.

280. Hic ritus catechistis et laicis præsertim aptatur.

Attamen etiam presbyter et diaconus, in casu urgentioris necessitatis, hoc ritu uti poterunt. De more tamen presbyter et diaconus adhibeant ritum qui simplicior appellatur (n. 240-273), inductis necessariis, pro loco et tempore, accommodationibus.

Presbyter autem qui baptizat, et sacrum Chrisma habeat tempusque supersit, ne prætermittat, post Baptismum, conferre Confirmationem, omissa hoc in casu chrismatione post Baptismum (n. 263).

Item, si fieri potest, tum presbyter tum diaconus, et, pro opportunitate, etiam catechista vel laicus, qui facultatem habeat sacram communionem distribuendi, Eucharistiam neophyto ministrent. Quo in casu, sacramentum ante ritus celebrationem deferri potest et, tempore ipsius celebrationis, super mensa, alba tobalea cooperta, honorifice collocatur.

281. In articulo autem mortis seu, morte imminente, quando tempus urget, minister, omissis ceteris, aquam, etsi non benedictam, sed naturalem, in caput infirmi infundit, formulam consuetam dicens (cf. Prænotanda generalia de initiatione christiana, n. 23).

282. Pro iis, qui sive in proximo periculo sive in articulo mortis baptizati sunt, provideatur, si redeant ad sanitatem, ut catechesi apta

instituantur, et, in ecclesiam tempore opportuno recepti, ceteris sacramentis initiationis donentur. Quo in casu serventur, cum debitis accommodationibus, principia, quæ nn. 295-305 statuuntur.

Initium ritus

283. Catechista vel laicus, postquam familiam humaniter breviterque salutavit, statim cum ipso infirmo colloquitur de petitione eius et, si non est catechumenus, de rationibus conversionis eius; deinde, postquam iudicavit de opportunitate Baptismi, eum, pro necessitate, breviter catechizat.

284. Postea circa infirmum invitat familiam eius, patrinum (matrinam), aliquos propinquos et amicos, e quibus eligetur unus vel alter testis. Et præparatur aqua, etiam non benedicta.

Collocutio

285. Deinde, ad infirmum rediens, minister iterum eum interrogat, his vel similibus verbis:

Dilectíssime, Baptísmum petísti, quia, sicut christiáni, ætérnam vis habére vitam. Vita autem ætérna hæc est, ut cognóscas Deum verum et quem misit Iesum Christum. Hæc est christianórum fides: hoc notum habes?

Infirmus:

Notum hábeo.

Minister:

Et una cum fide in Iesum Christum opus tibi erit ut étiam mandáta eius serváre velis, uti fáciunt christiáni: hoc páriter notum habes?

Infirmus:

Notum hábeo.

Minister:

Vis ergo ad modum christianórum vívere?

Infirmus:

Volo.

Minister:

Promítte ígitur te, postquam vires recuperáveris, tempus insumptúrum ut Christum mélius cognóscas et currículum institutiónis christiánæ sequáris.

Infirmus:

Promítto.

286. Tunc, ad patrinum et ad testes conversus, minister interrogat eos, his vel similibus verbis:

Tu, qui sponsiónem eius (vel: N.) audísti, patríne, promíttis eam in mentem eius revocáre eúmque adiuváre, ut doctrínam Christi edíscat, communitátem frequéntet bonúsque christiánus evádat?

Patrinus:

Promítto.

Minister:

Et vos, qui testes adéstis, de eius promissióne sponsóres estis?

Testes:

Sponsóres sumus.

287. Ad infirmum iterum conversus, minister dicit:

Proínde, secúndum mandátum Dómini Iesu, baptizáberis in vitam ætérnam.

Pro tempore et opportunitate, legit aliqua verba evangelica, quæ, si fieri potest, explanat, v. g.:

Io 3, 1-6: « Nisi quis renatus fuerit, non potest videre regnum Dei ».
Io 6, 44-46: « Qui credit habet vitam æternam ».
Mt 22, 35-40: « Hoc est maximum et primum mandatum ».
Mt 28, 18-20: « Docete omnes gentes, baptizantes eos» .
Mc 1, 9-11: « Baptizatus est a Ioanne in Iordane ».

Deprecatio

288. Postea astantes invitat ut secum hanc deprecationem proferant:

Pro hoc infírmo, qui grátiam Baptísmi póstulat, pro patríno eius, pro tota família et amícis, Dei omnipoténtis misericórdiam invocémus.

Minister (vel unus inter astantes) unam alteramve ex invocatiobus sequentibus profert:

Ut fidem eius in Christum, Fílium tuum et Salvatórem nostrum, augére dignéris:

℟. Te rogámus, audi nos.

Ut eius desidérium vitam ætérnam habéndi et regnum cælórum ingrediéndi exaudíre dignéris:

℟. Te rogámus, audi nos.

Ut spem eius te cognoscéndi, creatórem mundi et Patrem hóminum, adimplére dignéris:

℟. Te rogámus, audi nos.

Ut eum a peccátis suis per Baptísmum absólvere et sanctificáre dignéris:

℟. Te rogámus, audi nos.

Ut ei salútem, quam Christus passióne et resurrectióne sua proméruit, largíri dignéris:

℟. Te rogámus, audi nos.

Ut in caritáte tua adoptiónem filiórum tuórum ei tribúere dignéris:

℟. Te rogámus, audi nos.

Ut ad sanitátem eum restitúere eíque tempus Christum penítius cognoscéndi et imitándi concédere dignéris:

℟. Te rogámus, audi nos.

Ut nos omnes Christi discípulos, in unum corpus baptizátos, in una semper fide et caritáte conserváre dignéris:

℟. Te rogámus, audi nos.

Invocationes supradictas accommodare licet pro opportunitate.

289. Minister hac oratione deprecationem concludit:

Exáudi, Dómine, oratiónem nostram
et, fidem desideriúmque diлécti tui N. respíciens,
præsta, ut ex hac aqua,
quam ad supérnam hóminum nativitátem elegísti,
passióni et resurrectióni Christi efficiátur confórmis,
remissiónem ómnium peccatórum suórum consequátur,
fílius constituátur adoptiónis tuæ
et pópulo sancto tuo annumerétur.
[Concéde étiam ut, ad sanitátem restitútus,
tibi in Ecclésia gratiárum réferat actiónes
et, mandátis Christi fidéliter inhǽrens,
perféctus eius efficiátur discípulus.]
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

Abrenuntiatio et professio fidei

290. Deinde minister, infirmum respiciens, postulat ab eo abrenuntiationem fideique professionem:

Abrenúntias Sátanæ et ómnibus opéribus et seductiónibus eius?

Infirmus:

Abrenúntio.

Pro opportunitate, minister potest usurpare formulam ampliorem (cf. n. 217) et accommodationem de qua in n. 80. Et pergit:

Credis in Deum Patrem omnipoténtem, creatórem cæli et terræ?

Infirmus:

Credo.

Minister:

Credis in Iesum Christum, Fílium eius únicum, Dóminum nostrum, natum ex María Vírgine, passum et sepúltum, qui a mórtuis resurréxit et sedet ad déxteram Patris?

Infirmus:

Credo.

Minister:

Credis in Spíritum Sanctum, sanctam Ecclésiam cathólicam, Sanctórum communiónem, remissiónem peccatórum, carnis resurrectiónem et vitam ætérnam?

Infirmus:

Credo.

Ritus Baptismi

291. Deinde minister, pronuntians nomen, quod infirmus accipere desiderat, baptizat eum, dicens:

N., ego te baptízo in nómine Patris,

fundit aquam primo

et Fílii,

fundit aquam secundo

et Spíritus Sancti.

fundit aquam tertio

Si minister Baptismi est diaconus, post infusionem aquæ, unctionem Chrismatis post Baptismum, modo et formula consueta (n. 263), ministrare poterit.

---

292. Si nec Confirmatio nec sacra Communio dari potest, statim post Baptismum minister dicat:

N., a peccátis tuis liberátus et a Deo Patre regenerátus, factus es fílius eius in Christo. Mox, si Deus annúerit, plenitúdinem Spíritus Sancti per Confirmatiónem accípies, et, ad altáre Dei accédens, párticeps fies mensæ sacrifícii eius. Nunc autem, in spíritu adoptiónis filiórum, quem hódie recepísti, una nobíscum ora, uti Dóminus nos dócuit oráre.

Et neophytus astantesque omnes una cum ministro simul dicunt Orationem dominicam (cf. infra, n. 294).

Ritus Confirmationis

293. Si Baptismus a presbytero datus est, hic Confirmationem conferre potest (cf. supra n. 280), præmissa admonitione, his vel similibus verbis:

N., in Christo regenerátus et membrum Christi eiúsque pópuli sacerdotális efféctus, tibi nunc súperest ut in nos effúsum accípias Spíritum Sanctum, qui, super Apóstolos die Pentecóstes a Dómino missus, ab ipsis eorúmque successóribus datus est baptizátis.

Deinde, pro opportunitate, astantes invitat ut per aliquod temporis spatium in silentio orent. Expleta oratione, presbyter, manibus super confirmandum impositis, dicit:

Deus omnípotens, Pater Dómini nostri Iesu Christi,
qui hunc fámulum tuum regenerásti
ex aqua et Spíritu Sancto,
líberans eum a peccáto,
tu, Dómine, immítte in eum Spíritum Sanctum Paráclitum;
da ei spíritum sapiéntiæ et intelléctus,
spíritum consílii et fortitúdinis,
spíritum sciéntiæ et pietátis;
adímple eum spíritu timóris tui.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

Tunc presbyter, summitate pollicis dexteræ manus Chrismate intincta, ducit pollice signum crucis in fronte confirmandi, dicens:

N., áccipe signáculum Doni Spíritus Sancti.

Confirmatus:

Amen.

Presbyter subdit:

Pax tibi.

Confirmatus:

Et cum spíritu tuo.

Urgente vero necessitate, sufficit ut peragatur chrismatio cum verbis Accipe signáculum Doni Spíritus Sancti, præmissa, si fieri potest, manuum impositione cum oratione Deus omnípotens.

Post Confirmationem sacra Communio neophyto dari potest, servato ritu infra descripto, n. 294. Secus celebratio recitatione Orationis dominicæ concluditur.

Sacra Communio

294. Si sacra Communio administratur immediate post Confirmationem, aut post Baptismum cum Confirmatio conferri nequit, minister sequentem vel similem monitionem dicere potest, omissis verbis inter parentheses positis quando Confirmatio data est.

N., a peccátis tuis liberátus et a Deo Patre regenerátus, factus es fílius eius in Christo. (Mox, si Deus annúerit, plenitúdinem Spíritus Sancti per Confirmatiónem accípies.) Nunc autem, ántequam Corpus Christi suscípias, in spíritu adoptiónis filiórum, quem hódie recepísti, una nobíscum ora, uti Dóminus nos dócuit oráre:

Et neophytus astantesque omnes una cum ministro simul dicunt:

Pater noster, qui es in cælis:
sanctificétur nomen tuum;
advéniat regnum tuum;

8 (5048)

fiat volúntas tua, sicut in cælo, et in terra.
Panem nostrum cotidiánum da nobis hódie;
et dimítte nobis débita nostra,
sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris;
et ne nos indúcas in tentatiónem,
sed líbera nos a malo.

Minister accipit hostiam, eamque aliquantulum elevatam tenens, ad neophytum versus, dicit:

Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccáta mundi.
Beáti qui ad cenam Agni vocáti sunt.

Neophytus et astantes semel dicunt:

Dómine, non sum dignus ut intres sub tectum meum,
sed tantum dic verbo,
et sanábitur ánima mea.

Minister communionem dat neophyto, dicens:

Corpus Christi.

Neophytus respondet:

Amen.

Et communicatur. Astantes qui communicare cupiunt, Sacramentum recipere possunt.

Communione expleta, minister dicit orationem conclusivam:

Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus,
te fidéliter deprecámur, ut accipiénti fratri nostro
sacrosánctum Corpus Dómini nostri Iesu Christi Fílii tui,
tam córpori, quam ánimæ prosit ad remédium sempitérnum.
Qui vivit et regnat in sǽcula sæculórum.

Omnes:

Amen.

Infirmus qui, in proximo periculo mortis constitutus, omnia vel quædam sacramenta initiationis recipit, si vires forte recuperaverit, consuetam catechesim, sacramenta vel ritus, quæ peragi non potuerit, absolvere debet (cf. nn. 279, 295-305).

CAPUT IV

DE PRÆPARANDIS AD CONFIRMATIONEM ET EUCHARISTIAM ADULTIS QUI, INFANTES BAPTIZATI, CATECHESIM NON RECEPERUNT

295. Suasiones pastorales, quæ sequuntur, eos adultos respiciunt, qui ut infantes baptizati, catechesim postea non receperunt neque proinde ad Confirmationem et Eucharistiam sunt admissi. Possunt tamen casibus similibus aptari, præsertim pro adulto qui in periculo vel in articulo mortis baptizatus est.

Etsi huiusmodi adulti nuntium mysterii Christi nondum audierunt, eorum tamen condicio a catechumenorum condicione eo differt quod iam sunt in Ecclesiam introducti et filii Dei per Baptismum effecti. Eorum proinde conversio fundatur in Baptismo iam accepto, cuius vim exinde explicare debent.

296. Eadem ratione ac pro catechumenis, præparatio horum adultorum tempus protractum requirit (cf. Prænotanda, n. 21), quo fides in Baptismo ipsis infusa crescere, ad maturitatem pervenire et plene imprimi debet per pastoralem institutionem quæ ipsis traditur; eorundemque vita christiana confirmetur oportet per opportunam disciplinam quæ ipsis proponitur, per iis aptam catechesim, commercium cum fidelium communitate et quorundam liturgicorum rituum participationem.

297. Catecheseos ordo plerumque respondet ordini pro catechumenis proposito (cf. Prænotanda, n. 19 § 1); in ea tamen tradenda, sacerdos, diaconus vel catechista rationem habeat peculiaris condicionis horum adultorum qui Baptismo iam sunt donati.

298. Sicut catechumenis, ita et his adultis communitas fidelium opem suam afferat fraterna caritate et oratione, testimoniumque reddendo de eorum idoneitate cum ad sacramenta erunt admittendi (cf. Prænotanda, nn. 4, 19 § 2, 23).

299. Adulti a sponsore præsentantur communitati. Tempore vero suæ formationis unusquisque illorum eligit, sacerdote approbante, patrinum, qui ut delegatus communitatis apud ipsum aget, et qui eadem munera erga ipsum habebit ac patrinus erga catechumenum

(cf. Prænotanda, n. 43). Patrinus autem, hoc tempore electus, poterit esse etiam patrinus Baptismi, dummodo revera capax sit hoc munus implendi.

300. Præparationis tempus actionibus liturgicis sanctificatur, quarum prima est ritus quo adulti in communitatem recipiuntur, et se, utpote iam Baptismo signatos, partem eius se habere agnoscunt.

301. Exinde celebrationes liturgiæ verbi participabunt, tum eas ad quas fidelium cœtus congregatur, tum eas quæ catechumenis proxime destinantur.

302. Ad actionem autem Dei in hoc præparationis opere significandam, opportune adhiberi poterunt quidam ritus catechumenatus proprii, qui horum adultorum condicioni et utilitati spirituali respondeant, cuiusmodi sunt traditiones Symboli, Orationis dominicæ aut etiam Evangeliorum.

303. Catecheseos tempus anno liturgico apte inseratur, præsertim vero ad ultimam partem quod spectat, quæ plerumque cum Quadragesima componetur. Huius vero temporis spatio ad actiones sacras pænitentiales ordinandas opportune conferent, quæ ad celebrationem sacramenti Pænitentiæ conducent.

304. Culmen vero totius formationis erit ex more Vigilia paschalis, in qua adulti fidem baptismalem profitebuntur, sacramentum Confirmationis recipient et Eucharistiam participabunt. Si Confirmatio in ipsa Vigilia paschali dari nequit, quia Episcopus vel minister extraordinarius Confirmationis abest, quam primum conferatur, et quidem, quantum fieri potest, tempore paschali.

305. Denique christianam formationem suam complebunt adulti suamque in communitatem perficient insertionem, tempus mystagogiæ una cum neophytis viventes.

CAPUT V

ORDO INITIATIONIS PUERORUM QUI ÆTATEM CATECHETICAM ADEPTI SUNT

306. Ritus hic destinatur pueris, qui, tempore infantiæ non baptizati et ætatem discretionis catechesisque adepti, ad initiationem christianam veniunt sive a parentibus vel a tutoribus adducti, sive cum eorundem permissione sponte moti. Iam idonei sunt qui fidem propriam concipiant ac nutriant et ipsi pro conscientiæ officio aliquid in se recipiant. Attamen nondum tractari possunt ut adulti, quia, ornati cultura puerili, e parentibus vel e tutoribus pendent et influxu sodalium necnon societatis nimis moventur.

307. Initiatio illorum ante requirit tum conversionem propriam et, pro condicione ætatis, paulatim maturatam, tum auxilium educationis huic ætati necessariæ. Exinde aptanda est et itineri spirituali candidatorum, nempe incremento eorum in fide et institutioni catecheticæ, quam audiunt. Propterea, ad instar adultorum, initiatio eorum etiam per plures annos, si necesse est, protrahitur antequam accedant ad sacramenta, et variis gradibus temporibusque distinguitur atque ritibus est instructa.

308. Cum autem progressus puerorum in institutione accepta pendeat tam ex auxilio et exemplo sodalium quam e parentibus, utrorumque ratio habeatur.

a) Etenim cum pueri initiandi plerumque pertineant ad aliquem cœtum sodalium iamdiu baptizatorum, qui ad Confirmationem et Eucharistiam catechetice præparantur, initiatio progressione impertitur et in hoc ipso cœtu catechetico velut in fundamento innititur.

b) Optatur autem ut iidem pueri, quantum fieri poterit, auxilium et exemplum inveniant pariter apud parentes suos, quorum permissio requiritur ad initiationem faciendam necnon ad futuram eorum vitam christianam ducendam. Præterea tempus initiationis opportune familiæ præbebit opportunitatem colloquendi cum sacerdotibus et catechistis.

309. Pro rerum adiunctis, non parvi refert plures pueros, in hac eadem condicione versantes, insimul consociari in celebrationibus huius Ordinis, ut mutuo exemplo in itinere catechumenatus se adiuvent.

310. Quod autem attinet ad tempus celebrationum, optatur ut, quantum fieri potest, ultimum tempus præparationis cum Quadra-

gesima conveniat et sacramenta ipsa celebrentur in Vigilia paschali (cf. Prænotanda, n. 8). Sed, antequam pueri in festis paschalibus admittantur ad sacramenta, attendatur tum an ipsi idonei facti sint, tum an tempus congruat ordini institutionis catecheticæ, quam frequentant. Etenim, quantum fieri poterit, curandum est ut candidati ad sacramenta initiationis accedant dum eorum sodales iamdiu baptizati ad Confirmationem vel ad Eucharistiam admittuntur.

311. Celebrationes fiant cum actuosa participatione alicuius congregationis, quæ, congruo numero fidelium constans, a parentibus familiaque, necnon a sodalibus cœtus catechetici et a nonnullis adultis familiaribus afficiatur. Plerumque enim, quando initiantur pueri huius ætatis, optanda non est præsentia totius communitatis parœcialis: satis est ut hæc repræsentetur.

312. Prout est concinnatus, hic Ordo a Conferentiis Episcopalibus opportunas accipere potest accommodationes et additamenta, quo plenius necessitatibus et adiunctis regionis opportunitatibusque pastoralibus respondeat. Inseri potest, pro ætate puerorum aptatus, ritus « traditionum », in usu pro adultis (cf. nn. 103, 125, 181-192). Præterea, quando Ordo hic vertitur in linguas vernaculas, curandum est ut monitiones et deprecationes et orationes captui puerorum accommodentur. Pro opportunitate, v. g. cum oratio aliqua Ritualis Romani convertitur in linguam loci, approbari etiam potest a Conferentia Episcopali altera oratio, quæ eadem argumenta congruentius pueris proponat (cf. Prænotanda de initiatione christiana, n. 32).

313. Ministri, hunc Ordinem adhibentes, libenter et intellegenter utantur facultatibus quæ sibi tribuuntur sive in Prænotandis generalibus (nn. 34 et 35), sive in Prænotandis particularibus Ordinis Baptismi parvulorum (n. 31) et Initiationis adultorum (n. 67).

PRIMUS GRADUS: RITUS AD CATECHUMENOS FACIENDOS

314. Ritus hic in primis celebretur coram parva, etsi actuosa, congregatione, ne mens puerorum multitudine turbetur (cf. n. 311). Parentes vel tutores candidatorum, quantum fieri potest, adsint. Si autem venire nequeant, significent consensum pueris datum; et loco eorum adsint « sponsores » (cf. n. 42), nempe fideles idonei qui, pro casu, vicem parentum gerant et præsentent pueros.

315. Celebratio fit in ecclesia vel in loco tam apto ut, pro ætate et captu candidatorum, foveatur experientia intimæ receptionis. Prima pars seu ritus introductionis fiat, pro adiunctis, ad ingressum ecclesiæ vel alius loci; altera pars seu liturgia verbi, in ipsa ecclesia vel in loco ad id electo.

RITUS RECEPTIONIS

316. Celebrans, vestibus liturgicis indutus, accedit ad locum quo pueri eorumque parentes vel tutores vel etiam, si casus ferat, sponsores congregantur. Et ipse una cum congregatione astantium eos simpliciter et humaniter salutat.

Monitio prævia

317. Tunc, candidatos eorumque parentes alloquens, gaudium gratumque Ecclesiæ animum significat. Deinde eosdem invitat, necnon sponsores si adsint, ut coram se accedant.

Collocutio

318. Postea singulos pueros, nisi sint numerosiores, celebrans, his vel similibus verbis, interrogat:

(N.), quid vis fieri?

Puer:

Christiánus.

Celebrans:

Cur vis christiánus fíeri?

Puer:

Quia credo in Christum.

Celebrans:

Fides in Christum quid tibi præstat?

Puer:

Vitam ætérnam.

Attamen celebranti licet aliis verbis uti ad interrogandum et admittere liberas responsiones: Volo voluntátem Dei fácere, Volo verbum Dei sequi, Volo baptizári, Volo fidem, Volo amícus Iesu fíeri, Volo in famíliam christianórum intráre, etc.

Si vero pueri numerosiores sunt, celebrans potest omnes simul interrogare, aliquorum responsiones excitare et postea petere a ceteris an consentiant.

319. Deinde celebrans colloquium concludit brevi catechesi, adiunctis et ætati puerorum apta, quam his vel similibus verbis profert:

Cum in Christum iam credátis et præparári velítis ad Baptísmum, magno gáudio vos recípimus in famíliam christianórum, in qua Christum in dies mélius cognoscétis. Et una nobíscum contendétis ad modum filiórum Dei vívere, sicut Christus nos erudívit: Díliges Deum in toto corde tuo. Diligátis ínvicem, sicut diléxi vos.

Quæ ultima Christi verba, pro opportunitate, iterare possunt pueri, ut assensum suum ostendant.

Colloquium cum parentibus et congregatione

320. Postea celebrans, iterum pueros alloquens, postulat ab eis ut assensum petant a parentibus suis vel a sponsoribus a quibus præsentantur. Quod hoc vel simili modo fieri potest:

N. et N., ad assequéndum assénsum paréntum vestrórum, ite nunc ad eos et ab ipsis pétite ut vobíscum huc accédant.

Pueri parentes vel sponsores suos adeunt eosque adducunt coram celebrante, qui prosequitur:

Diléсti paréntes, púeri vestri, N. et N., póstulant ut ad Baptísmum præparéntur. Vos, eórum voluntáti asséнsum datis?

Parentes:

Asséнsum damus.

Celebrans:

Estis autem paráti partem vestram eórum præparatióni ad Baptísmum præstáre?

Parentes:

Paráti sumus.

321. Deinde celebrans omnes astantes interrogat, his vel similibus verbis:

Cum autem his púeris ad prosequéndum iter hódie incéptum opus sit auxílio fídei et caritátis nostræ, rogo étiam vos, amíci et sodáles: estis paráti eos adiuváre, ut gradátim pervéniant ad Baptísmum?

Omnes:

Paráti sumus.

Signatio

322. Postea celebrans, ad pueros conversus, dicit:

Christi, qui vos, N. et N., ad se vocávit, ut amíci eius efficiámini, útinam semper mémores sitis, eíque fidéles adhæreátis!

Proptérea signo vos signo crucis Christi, quod est signum christianórum.

Hoc signo in pósterum admóniti, Christi et dilectiónis eius mémores sitis.

Statim celebrans, ante pueros transiens, signum crucis super frontem uniuscuiusque ducit, nihil dicens.

Pro opportunitate (cf. n. 323), parentes et catechistas invitat ut et ipsi in silentio producant signum crucis super frontem puerorum:

Vos páriter, paréntes et catechístæ (N. et N.), cum Christi sitis, signáte eos signo Christi.

[323.] Si opportunum esse videatur, pueris præsertim qui ætate paulum processerunt, addi potest signatio aliarum corporis partium. Quod perficitur a sacerdote, qui ipse solus et verba dicit et signationem efficit.

Celebrans ait, dum aures signat:

Signo te signo crucis in áuribus, ut verba Christi áudias.

Dum signat oculos:

Signo te signo crucis in óculis, ut ópera Christi vídeas.

Dum signat os:

Signo te signo crucis in lábiis, ut loquáris sicut Christus.

Dum signat pectus:

Signo te signo crucis in péctore, ut per fidem Christum recípias in cor tuum.

Dum signat scapulas:

Signo te signo crucis in scápulis, ut robur Christi hábeas.

Dum signat totum corpus:

Signo te totum signo crucis Christi in nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti, ut cum Iesu nunc et semper vivas.

Puer:

Amen.

Pro opportunitate, eadem signatio sensuum perfici potest a parentibus (vel etiam a sponsoribus), vel a catechistis; verba autem a solo sacerdote dicuntur numero plurali, ut supra n. 85.

Introductio in ecclesiam

324. Postea celebrans catechumenos ad accedendum invitat, his vel similibus verbis:

Nunc inter christiános congregátos locum obtinére potéstis. Veníte ergo, ut Dóminum, qui nobis lóquitur, audiátis eúmque nobíscum orétis.

His auditis, pueri in congregationem accedunt et locum occupant vel cum parentibus (sponsoribus) suis vel inter sodales suos, ita ut omnibus pateat eos nunc congregationis partem habere.

Interea cantatur Ps. 94 vel 121, vel etiam editur alius cantus aptus.

LITURGIA VERBI

325. Sacrarum Scripturarum liber affertur et honorifice deponitur. Celebrans paucis verbis explicare potest dignitatem verbi Dei, quod in christianorum congregatione annuntiatur et auditur.

Et statim incipit brevis liturgia verbi.

Lectiones et homilia

326. Seliguntur lectiones, quæ accommodari possint tum ad captum catechumenorum tum ad progressum catechesis, quam ipsi et sodales acceperunt, v. g.:

Gen 12, 1-4 a: Abraham a Deo vocatus.
Ps 32, 4-5. 12-13. 18-19. 20 et 22.
Io 1, 35-42 (vel 35-39): Ecce Agnus Dei. Invenimus Messiam.

Vel etiam:

Ez 36, 25-28: Cor novum et reditus ad terram.
Eph 4, 1-6a: Vocatio sequenda; una fides, unum baptisma.
Gal 5, 13-17. 22-23a. 24-25: Unum mandatum et unus spiritus.

Mc 12, 28c-31: Primum mandatum.
Lc 8, 4-9. 11-15: Parabola seminantis.
Lc 19, 1-10: Zachæus.

Io 6, 44-47: « Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum ».
Io 13, 34-35: Mandatum novum.
Io 15, 9-11 vel 12-17: « Diligatis invicem ».

Aliæ lectiones, psalmi responsorii et versus ante Evangelium, n. 388.

Post lectiones, a celebrante habetur brevis homilia, qua illustrantur ea quæ lecta sunt.

327. Silentii tempus commendatur, in quo pueri, invitati a celebrante, omnes orent in corde suo. Sequitur cantus aptus.

Porrectio Evangeliorum

328. Dum editur cantus vel statim postea, pro opportunitate, datur liber Evangeliorum pueris, monitione apta vel homilia breviter præparatis.

Deprecatio

329. Deinde, his vel similibus verbis, fit sequens deprecatio:

Celebrans:

Orémus pro his diléctis púeris, qui sunt fílii vestri, sodáles et amíci, et qui nunc ad Deum accédunt.

Lector:

Ut eórum desidérium vivéndi cum Iesu magis ac magis in dies áugeas:

℟. Te, Dómine, deprecámur.

Lector:

Ut, in Ecclésia vivéntes, felicitátem in ipsa invéniant:

℟. Te, Dómine, deprecámur.

Lector:

Ut in præparatióne Baptísmi, robur et perseverántiam eis concédas:

℟. Te, Dómine, deprecámur.

Lector:

Ut ab eis tentatiónem timóris et demissiónis ánimi amánter amóveas:

℟. Te Dómine, deprecámur.

Lector:

Ut lætítiam accipiéndi Baptísmum, Confirmatiónem et Eucharístiam eis largiáris:

℟. Te, Dómine, deprecámur.

Celebrans concludit hac oratione:

Dómine, qui in púeris istis desidérium excitásti,
ut perfécti evádant christiáni,
fac ut, ad te perseveránter gradiéntes,
vota sua et deprecatiónem nostram exaudíri conspíciant.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

In fine editur cantus.

Si vero postea Eucharistia celebratur, dimittantur catechumeni.

SECUNDUS GRADUS: SCRUTINIA SEU RITUS PÆNITENTIALES

330. Ritus hi pænitentiales, qui sunt inter tempora præcipua catechumenatus puerorum, attinent ad genus scrutiniorum, quæ occurrunt in Ordine initiationis adultorum (nn. 152-180). Ideo, cum ad finem similem spectent, usurpare et accommodare licet normas, quæ pro scrutiniis proponuntur (nn. 25 § 1, 154-159).

331. Cum scrutinia ex more ad ultimum tempus præparationis ad Baptismum pertineant, ritus pænitentiales in pueris postulant ut fides eorum animique sensus iam accedant ad ea quæ requiruntur ad Baptismum.

332. Hi ritus, quos una cum catechumenis patrini (matrinæ) eorum et sodales cœtus catechetici participant, omnibus astantibus aptantur, ita ut evadant celebrationes pænitentiales ad usum eorum etiam qui non sunt catechumeni. Revera, intra hanc celebrationem, nonnulli pueri iamdiu baptizati, cœtui catechetico ascripti, possunt primum ad sacramentum Pænitentiæ admitti. Quo in casu curetur ut in celebrationem tempestive inserantur monitiones, intentiones orationis et actiones, quæ ad huiusmodi pueros spectant.

333. Ritus pænitentiales celebrantur in Quadragesima, si catechumeni in sollemniis paschalibus initiandi sunt; secus, tempore opportuniore. Unus saltem ritus habeatur. Si vero commode fieri potest, alter addatur. Cuius formulæ instruentur ad instar prioris; pro deprecatione autem et oratione exorcismi, adhibentur textus nn. 164, 171, 178 exhibiti, opportune accommodati.

Introductio ritus

334. Celebrans, postquam congregatos recepit, paucis verbis explanat quam significationem ritus exhibiturus sit secundum uniuscuiusque condicionem, nempe pro pueris catechumenis, baptizatis, iis præsertim qui hac die ad sacramentum Pænitentiæ primum accedunt, pro parentibus et amicis, catechistis et sacerdotibus, etc. Omnes enim beatum nuntium remissionis peccatorum pro se audient et misericordiam Dei Patris confitebuntur.

Cantus aptus seligi potest ad fidem et gaudium significandum de misericordia Dei Patris.

335. Celebrans concludit hac oratione:

Orémus.

Deus clemens et miséricors,
qui parcéndo reveláris et sanctificándo gloriáris,
concéde pæniténtibus, ut nostras sordes abstérgas
et ad vitam corda nostra restítuas.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Vel:

Concéde nobis, Dómine, dona propitiatiónis et pacis,
ut, a peccátis nostris mundáti,
seréno tibi corde serviámus.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Lectiones et homilia

336. Una vel plures lectiones fieri possunt, v. g.:

Ez 36, 25-28: Cor novum et spiritus novus.
Is 1, 16-18: Mundatio peccatorum.
Mc 1, 1-5. 14-15: « Pænitemini et credite Evangelio ».
Mc 2, 1-12: Paralyticus sanatus.
Lc 15, 1-7: Ovis perdita et inventa.
I Io 1, 8 – 2, 2: Iesus Christus Salvator noster.

Adhibere etiam licet lectiones, quæ scrutiniis ex more assignantur:

Io 4, 1-14: Mulier Samaritana.
Io 9, 1. 6-9. 13-17. 34-39: Sanatur cæcus a nativitate.
Io 11, 3-7. 17. 20-27. 33b-45: Lazarus suscitatur a mortuis.

Si duæ vel plures lectiones habentur, psalmi vel cantus interponuntur (n. 388).

Post lectiones celebrans, textus sacros explanaturus, brevem habet homiliam.

Deprecatio

337. Intra vel post homiliam, celebrans omnibus congregatis proponit, interiectis temporibus silentii, verba et argumenta, quibus ad pænitentiam et renovationem mentis disponantur.

Si autem inter præsentes adsint pueri iam baptizati, cœtui catechetico ascripti, ad eos etiam se convertit celebrans, eosque invitat ut exterius significent suam fidem in Christum Salvatorem et de propriis peccatis dolorem.

338. Post aliquod tempus silentii, quo omnes ad contritionem cordis præparantur, celebrans congregationem invitat ad orationem:

Orémus pro N. et N., qui ad sacraménta initiatiónis christiánæ se præparant; pro N. et N., qui Dei véniam in sacraménto Pæniténtiæ primum accípient; et pro nobis, qui misericórdiam Christi præstolámur.

Lector:

Ut ante Dóminum Iesum grati ánimi afféctus et fídei sensus pándere valeámus, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Lector:

Ut memóriam infirmitátum et delictórum nostrórum sincére requirámus, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Lector:

Ut in spíritu filiórum Dei fragilitátem culpásque nostras cándide fateámur, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Lector:

Ut de peccátis nostris dolórem coram Christo Iesu effundámus, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Lector:

Ut a præséntibus malis liberémur et a futúris misericórditer custodiámur, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Lector:

Ut a Patre nostro cælésti discámus divína eius dilectíone, ómnia hóminum peccáta superáre, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Accommodare licet, pro adiunctis, monitionem celebrantis et intentiones, usurpando, debitis cum aptationibus, formularia nn. 378, 382 et 386.

Exorcismus

339. Deinde celebrans, extensis manibus super pueros, orat:

Orémus.

Pater misericordiárum,
qui diléctum Fílium tuum tradidísti,
ut hóminem, peccáti servitúte captívum,
filiórum libertáte donáres,
hos fámulos tuos, qui tentatiónes iam sunt expérti
et culpas próprias vident,
cleménter réspice et spem eorum exáudi.
Præsta, ut a ténebris ad lumen indefíciens transferántur,
a peccátis mundéntur,
et, pace gaudéntes,
in itínere vitæ suæ custodiántur illæsi.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

Alia forma exorcismi, n. 392.

Unctio catechumenorum vel impositio manus

340. Prosequitur celebrans, dicens:

Múniat vos virtus Christi Salvatóris,
in cuius signum vos óleo linímus salútis,

in eódem Christo Dómino nostro,
qui vivit et regnat in sǽcula sæculórum.

Pueri:

Amen.

Singuli liniuntur Oleo catechumenorum in pectore vel in utraque manu vel etiam, si opportunum esse videatur, in aliis partibus corporis.

De iudicio Conferentiæ Episcopalis, unctio hæc omitti potest vel differri ad diem celebrationis Baptismi (cf. n. 218). Quo in casu celebrans, omnes catechumenos alloquens, ait:

Múniat vos virtus Christi Salvatóris,
qui vivit et regnat in sǽcula sæculórum.

Pueri:

Amen.

Et statim celebrans manum imponit super unumquemque catechumenum, nihil dicens.

Dimissio catechumenorum

341. Continuo celebrans dimittit eos, his vel similibus verbis:

Dóminus Iesus vobis, N. et N., misericórdiam suam inter nos apéruit. Exíte nunc in pace.

Pueri:

Deo grátias.

Vel eos remittit ad loca sua; sed hi ab ecclesia non exeunt. Quo in casu celebrans dicit:

Dóminus Iesus vobis, N. et N., misericórdiam suam inter nos apéruit. Redíte nunc ad loca vestra et nobíscum adhuc oráte.

342. Tunc prosequitur liturgia pænitentialis directe spectans ad pueros iam baptizatos. Post monitionem celebrantis, singuli qui primum sacramentum Pænitentiæ sunt accepturi, et deinde ceteri, ad confessionem accedunt.

Post cantum vel orationem gratiarum actionis, omnes exeunt.

TERTIUS GRADUS: CELEBRATIO INITIATIONIS SACRAMENTORUM

343. Ad illustrandam Baptismi indolem paschalem, suadetur ut hoc sacramentum in Vigilia paschali celebretur aut die dominica, in qua Ecclesia resurrectionem Domini commemorat (cf. Prænotanda Ordinis Baptismi parvulorum, n. 9), attentis iis quæ n. 310 proponuntur.

344. Baptismus celebratur in Missa, in qua neophyti primum Eucharistiæ partem habent. Confirmatio una simul confertur vel ab Episcopo vel a presbytero qui Baptismum administrat.

345. Si Baptismus celebratur extra Vigiliam vel diem Paschæ, adhibetur vel Missa diei vel Missa ritualis initiationis christianæ. Lectiones seliguntur inter eas quæ proponuntur n. 388; licet usurpare etiam lectiones dominicæ vel festivitatis.

346. Unumquemque puerum catechumenum comitatur patrinus (matrina), ab ipso delectus et a sacerdote approbatus (cf. Prænotanda n. 43).

Celebratio Baptismi

347. Congregatis pueris catechumenis cum parentibus (tutoribus) et patrinis (matrinis), sodalibus et amicis ceterisque fidelibus, incipit Missa, et fit liturgia verbi cum lectionibus supradictis.
Deinde habetur homilia.

Monitio celebrantis

348. Post homiliam, catechumeni cum parentibus et patrinis ad fontem accedunt. Celebrans familiam, sodales astantes et omnes fideles alloquens, hanc vel similem monitionem iis adhibet:

Dei Patris omnipoténtis grátiam, fratres dilectíssimi, súpplices invocémus, ut hi fámuli N. et N., qui Baptísmum, annuéntibus paréntibus, petunt, adoptiónis fíliis in Christo aggregéntur.

Benedictio aquæ

349. Tunc celebrans, ad fontem conversus, profert hanc benedictionem:

Deus, qui invisíbili poténtia
per sacramentórum signa mirábilem operáris efféctum,
et creatúram aquæ multis modis præparásti,
ut Baptísmi grátiam demonstráret;
Deus, cuius Spíritus
super aquas inter ipsa mundi primórdia ferebátur,
ut iam tunc virtútem sanctificándi
aquárum natúra concíperet;
Deus, qui regeneratiónis spéciem
in ipsa dilúvii effusióne signásti,
ut uníus eiusdémque eleménti mystério
et finis esset vítiis et orígo virtútum;
Deus, qui Abrahæ fílios
per mare Rubrum sicco vestígio transíre fecísti,
ut plebs, a Pharaónis servitúte liberáta,
pópulum baptizatórum præfiguráret;
Deus, cuius Fílius, in aqua Iordánis a Ioánne baptizátus,
Sancto Spíritu est inúnctus,
et, in cruce pendens,
una cum sánguine aquam de látere suo prodúxit,
ac, post resurrectiónem suam, discípulis iussit:
« Ite, docéte omnes gentes,
baptizántes eos in nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti »:
Réspice in fáciem Ecclésiæ tuæ,
eíque dignáre fontem Baptísmatis aperíre.
Sumat hæc aqua Unigéniti tui grátiam de Spíritu Sancto,
ut homo, ad imáginem tuam cónditus,
sacraménto Baptísmatis
a cunctis squalóribus vetustátis ablútus,
in novam infántiam
ex aqua et Spíritu Sancto resúrgere mereátur.

Celebrans manu dextera tangit aquam et pergit:

Descéndat, quǽsumus, Dómine, in hanc plenitúdinem fontis
per Fílium tuum virtus Spíritus Sancti,
ut omnes, cum Christo consepúlti per Baptísmum in mortem,
ad vitam cum ipso resúrgant.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

Aliæ formulæ ad libitum, n. 389.

350. Tempore autem paschali, si præsto est aqua baptismalis in Vigilia paschali benedicta, ne desit Baptismo gratiarum actio et deprecatio, fit benedictio et invocatio Dei super aquam secundum formulas, quæ inveniuntur n. 389, ratione habita variationis textus in fine earundem formularum.

Professio fidei

Professio fidei communitatis

351. Deinde, ante puerorum catechumenorum abrenuntiationem et fidei professionem, celebrans potest, pro adiunctis, parentes et patrinos necnon omnes astantes ad professionem fidei invitare:

N. et N., postquam se diu paravérunt, nunc baptizabúntur, et, accépta a Deo benígno vita nova, christiáni fient.

In pósterum nos eis magis étiam quam ántea auxílium præstémus oportébit. Vos in primis, paréntes, qui eórum Baptísmo assensístis, et curam eos educándi præ ómnibus agétis. Et nos idem præstábimus, qui præparávimus eos, ut hódie Christum sibi occurréntem ádeant.

Proptérea, ántequam ipsi coram nobis fidem profiteántur, omnes, consciéntia freti, professiónem fídei nostræ, quæ est fides Ecclésiæ, renovémus coram eis.

Tunc omnes una cum celebrante dicunt:

Credo in Deum,
Patrem omnipoténtem,

creatórem cæli et terræ.
Et in Iesum Christum,
Fílium eius únicum Dóminum nostrum:
qui concéptus est de Spíritu Sancto,
natus ex María Vírgine,
passus sub Póntio Piláto,
crucifíxus, mórtuus et sepúltus;
descéndit ad ínferos;
tértia die resurréxit a mórtuis;
ascéndit ad cælos,
sedet ad déxteram Dei Patris omnipoténtis;
inde ventúrus est iudicáre vivos et mórtuos.
Credo in Spíritum Sanctum.
sanctam Ecclésiam cathólicam,
Sanctórum communiónem,
remissiónem peccatórum,
carnis resurrectiónem,
vitam ætérnam. Amen.

Pro opportunitate, adhiberi potest etiam Symbolum Nicæno-Constantinopolitanum (cf. p. 69).

Deinde celebrans, ad catechumenos conversus, ait:

Nunc autem, N. et N., ántequam baptizémini, coram Ecclésia renuntiáte Sátanæ et fidem vestram profitémini.

Professio fidei puerorum catechumenorum.

352. Celebrans, ad pueros catechumenos conversus, eos breviter alloquitur, his vel similibus verbis:

N. et N., petístis Baptísmum et vestræ præparatióni multum témporis impendístis.

Paréntes vestri desidério vestro assensérunt; catechístæ, sodáles et amíci vos adiuvérunt; et omnes hódie vobis promíttunt exémplum fídei suæ et fratérnum auxílium.

Vos autem, coram Ecclésia, fídei professiónem dicátis et baptizabímini.

Abrenuntiatio

353. Celebrans omnes catechumenos interrogat:

Formula A

Abrenuntiátis Sátanæ et ómnibus opéribus et seductiónibus eius?

Pueri:

Abrenúntio.

Vel

Formula B

Abrenuntiátis peccáto, ut in libertáte filiórum Dei vivátis?

Pueri:

Abrenúntio.

Celebrans:

Abrenuntiátis seductiónibus iniquitátis, ne peccátum vobis dominétur?

Pueri:

Abrenúntio.

Celebrans:

Abrenuntiátis Sátanæ, qui est auctor et princeps peccáti?

Pueri:

Abrenúntio.

Unctio Olei catechumenorum

354. Si unctio Olei catechumenorum a Conferentia Episcopali retinetur, nec facta est antea, celebrans dicit:

Múniat vos virtus Christi Salvatóris,
in cuius signum vos óleo linímus salútis,

in eódem Christo Dómino nostro,
qui vivit et regnat in sæcula sæculórum.

Pueri:

Amen.

Singuli pueri liniuntur Oleo catechumenorum in pectore vel in utraque manu vel etiam in aliis partibus corporis, si opportunum esse videtur.

Si numerosiores sunt electi, plures ministros adhibere licet.

Professio fidei

355. Deinde celebrans, de nomine uniuscuiusque baptizandi, pro opportunitate, certior factus a patrino (matrina), unumquemque interrogat:

N., credis in Deum Patrem omnipoténtem, creatórem cæli et terræ?

Puer:

Credo.

Celebrans:

Credis in Iesum Christum, Fílium eius únicum, Dóminum nostrum, natum ex María Vírgine, passum et sepúltum, qui a mórtuis resurréxit et sedet ad déxteram Patris?

Puer:

Credo.

Celebrans:

Credis in Spíritum Sanctum, sanctam Ecclésiam cathólicam, Sanctórum communiónem, remissiónem peccatórum, carnis resurrectiónem et vitam ætérnam?

Puer:

Credo.

Post suam professionem fidei quisque statim abluitur vel immergitur.

Ritus Baptismi

356. Celebrans haurit aquam baptismalem de fonte et, eam ter infundens supra caput electi inclinatum, baptizat eum in nomine sanctissimæ Trinitatis:

N., ego te baptízo in nómine Patris,
fundit primo
et Fílii,
fundit secundo
et Spíritus Sancti.
fundit tertio

Patrinus vel matrina manum dexteram super umerum dexterum baptizandi imponit.

Si Baptismus fit per immersionem, celebrans, puerum vel caput eius in aquam ter immergendo et toties erigendo, baptizat eum, eadem verba dicens. Provideatur ut iura pudicitiæ et decoris serventur.

Post Baptismum uniuscuiusque opportune proferatur brevis acclamatio a populo (cf. nn. 391-411).

357. Si neophyti statim confirmandi sunt, omittitur unctio Chrismatis post Baptismum (n. 358) et continuo peraguntur ceteri ritus explanativi (nn. 359 et 360).

Ritus explanativi

Unctio post Baptismum

[358.] Si autem celebratio Confirmationis, peculiari de causa, a Baptismo separatur, tunc, post ablutionem aquæ, celebrans, ad conferendam unctionem Chrismatis, dicit super omnes insimul:

Deus omnípotens, Pater Dómini nostri Iesu Christi,
qui vos regenerávit ex aqua et Spíritu Sancto,
quique dedit vobis remissiónem ómnium peccatórum,
ipse vos linit chrísmate salútis,

ut, eius aggregáti pópulo,
Christi sacerdótis, prophétæ et regis membra permaneátis
in vitam ætérnam.

Baptizati:

Amen.

Postea celebrans singulos pueros sacro Chrismate in vertice capitis linit, nihil dicens.

Si autem baptizati numerosiores sunt et plures adsunt presbyteri vel diaconi, singuli possunt aliquos baptizatos Chrismate linire.

Impositio vestis candidæ

359. Celebrans dicit:

N. et N., nova creatúra facti estis
et Christum induístis.
Accípite ergo vestem cándidam,
quam perferátis immaculátam
ante tribúnal Dómini nostri Iesu Christi,
ut habeátis vitam ætérnam.

Baptizati:

Amen.

Ad verba Accípite ergo vestem cándidam, patrini (vel matrinæ) neophytis imponunt vestem albam, nisi color aptior consuetudinibus loci requiratur.

Pro opportunitate, hic ritus omittitur.

Traditio cerei accensi

360. Postea celebrans cereum paschalem manibus accipit vel tangit, dicens:

Accédite, patríni et matrínæ, ut lumen neóphytis tradátis.

Accedunt patrini (ac matrinæ) et cereum e cereo paschali accendunt, eumque neophyto porrigunt. Deinde celebrans ait:

Lux in Christo facti estis.
Ut fílii lucis indesinénter ambuláte,

ut, in fide perseverántes,
adveniénti Dómino occúrrere valeátis
cum ómnibus Sanctis in aula cælésti.

Baptizati:

Amen.

CELEBRATIO CONFIRMATIONIS

361. Inter celebrationem Baptismi et Confirmationis, pro opportunitate, editur a congregatione cantus aptus.

362. Celebratio Confirmationis fieri potest aut in presbyterio aut in ipso baptisterio, prouti locorum adiuncta suadent.

Si Baptismus ab Episcopo datus est, præstat ut ipse Confirmationem quoque statim ministret.

Absente vero Episcopo, Confirmatio dari potest a presbytero, qui Baptismum contulit.

Quando confirmandi numerosiores sunt, Confirmationis ministro ad sacramentum ministrandum sociari possunt presbyteri, qui ad hoc munus designari valent (cf. n. 46).

363. Tunc confirmandos alloquens, celebrans breviter eos admonet, his vel similibus verbis:

Dilectíssimi, in Christo nunc regeneráti et membra Christi eiúsque pópuli sacerdotális effécti, vobis ómnibus súperest ut in nos effúsum accipiátis Spíritum Sanctum, qui, super Apóstolos die Pentecóstes a Dómino missus, ab ipsis eorúmque successóribus datus est baptizátis.

Vos ergo páriter accipiétis promíssam Spíritus Sancti virtútem, qua, perféctius Christo conformáti, domínicæ passiónis et resurrectiónis testimónium perhibeátis et actuósa Ecclésiæ membra efficiámini, in ædificatiónem Córporis Christi in fide et caritáte.

Deinde celebrans (habens apud se presbyteros, qui ipsi sociantur) stans, manibus iunctis, versus ad populum dicit:

Orémus, dilectíssimi, Deum Patrem omnipoténtem,
ut super hos neóphytos

Spíritum Sanctum benígnus effúndat,
qui illos abundántia suórum confírmet donórum,
et unctióne sua Christi, Fílii Dei, confórmes perfíciat.

Et omnes per aliquod temporis spatium in silentio orant.

364. Deinde celebrans (et presbyteri qui ipsi sociantur) manus super omnes confirmandos imponunt. Solus autem celebrans dicit:

Deus omnípotens, Pater Dómini nostri Iesu Christi,
qui hos fámulos tuos regenerásti
ex aqua et Spíritu Sancto,
líberans eos a peccáto,
tu, Dómine, immítte in eos Spíritum Sanctum Paráclitum;
da eis spíritum sapiéntiæ et intelléctus,
spíritum consílii et fortitúdinis,
spíritum sciéntiæ et pietátis;
adímple eos spíritu timóris tui.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

365. Tunc celebranti offertur a ministro sanctum Chrisma. Unusquisque confirmandorum accedit ad celebrantem; vel pro opportunitate ipse celebrans accedit ad singulos confirmandos. Patrinus autem (vel matrina) ponit manum dexteram super umerum confirmandi et dicit celebranti nomen eius, vel confirmandus sua sponte nomen dicit.

Celebrans, summitate pollicis dexteræ manus Chrismate intincta, ducit pollice signum crucis in fronte confirmandi, dicens:

N., áccipe signáculum Doni Spíritus Sancti.

Confirmatus:

Amen.

Celebrans subdit:

Pax tibi.

Confirmatus:

Et cum spíritu tuo.

Si autem alii presbyteri ad sacramentum conferendum celebranti sociantur, ipsis omnia vascula sancti Chrismatis ab Episcopo, si adest, præbentur.

Confirmandi accedunt ad celebrantem vel ad presbyteros; aut, pro opportunitate, celebrans et presbyteri accedunt ad confirmandos, qui unguntur modo supra descripto.

CELEBRATIO EUCHARISTIÆ

366. Omisso Symbolo, statim fit oratio universalis, quam neophyti primum participant.

Dum oblata ad altare portantur, nonnulli ex eis illa deferunt.

367. In Prece eucharistica I, mentio fiat neophytorum in Hanc ígitur, et patrinorum (matrinarum) in Meménto (n. 377). Si sumatur Prex eucharistica II, III vel IV, addantur pro neophytis verba inserenda, quæ inveniuntur n. 412.

368. Neophyti sacram communionem sub utraque specie recipere possunt, una cum parentibus, patrinis, matrinis, necnon catechistis laicis.

Ante communionem, id est ante Ecce Agnus Dei, celebrans neophytos breviter monere potest de pretio tanti mysterii, quod est initiationis culmen et totius vitæ christianæ centrum. Profecto ad eos etiam attendit, qui iam diu baptizati, primum ad mensæ divinæ communionem accedunt.

DE TEMPORE MYSTAGOGIÆ

369. Ad utilitatem puerorum neophytorum provideatur congruum « mystagogiæ » tempus, pro quo accommodare iuvabit normas, quæ ad adultos spectant (nn. 235-239).

CAPUT VI

TEXTUS DIVERSI IN CELEBRATIONE INITIATIONIS ADULTORUM ADHIBENDI

PRO RITU AD CATECHUMENOS FACIENDOS

370. Ad n. 76: Formulæ monitionis ante primam adhæsionem candidati, qui fit catechumenus:

1

Celebrans:

Deus, qui mundum nosque hómines cóndidit et in quo movéntur vivéntia, mentes nostras illúminat, ut ipsum agnoscámus et colámus. Testem étiam suum fidélem misit Iesum Christum, ut quæ vidit, cæléstia et terréstria, nobis nuntiáret.

Vobis ergo, qui de Christi advéntu lætámini, tempus est ipsum audiéndi, ut, nobíscum incipiéntes Deum cognóscere vestrúmque dilígere próximum, cæléstem vitam habeátis. Paráti estis cum auxílio Dei hanc vitam dúcere?

Candidati:

Parátus sum.

2

Celebrans:

Vita ætérna hæc est, ut cognoscátis Deum verum et quem misit Iesum Christum. Ipse enim, a mórtuis suscitátus, a Deo constitútus est vitæ princeps et universórum, visibílium atque invisibílium, Dóminus.

Si ergo exoptátis eius fíeri discípuli et Ecclésiæ membra, opórtet ut inducámini in omnem, quam nobis revelávit, veritátem; ut in vobis hoc sentíre discátis quod et in Christo

Iesu, et conversatiónem vestram, evangélicis præcéptis conformáre studeátis, et ídeo Dóminum Deum et próximum vestrum diligátis, sicut Christus nobis mandávit et osténdit.

Hæc ómnia suo quisque vestrum assénsu ápprobat?

Candidati:

Approbo.

371. Ad n. 80: Forma alia abrenuntiandi gentilitiis cultibus:

Celebrans:

Dilectíssimi candidáti, Deum verum, qui vos vocávit et hucúsque addúxit, præoptástis cólere eíque soli servíre eiúsque Fílio Iesu Christo. Nunc ígitur, coram tota congregatióne, abrenuntiáte rítibus et cúltibus, quibus verus non cólitur Deus. Ipsum autem eiúsque Fílium Iesum Christum ne deserátis, ut áliis íterum dóminis serviátis.

Candidati:

Absit a nobis ut áliis dóminis quam vero Deo serviámus.

Celebrans:

Christum Iesum, vivórum et mortuórum Dóminum, qui ómnibus spirítibus et dæmónibus ímperat, ne deserátis, ut N. (hic mentio fit numinum, quæ in falsis ritibus coluntur, v. g. « fétiches ») íterum colátis.

Candidati:

Absit a nobis.

Celebrans:

Christum Iesum, qui solus hómines protégere valet, ne deserátis, ut íterum N. (hic nominantur res, quæ superstitiose usurpantur, v.g.: amuletti, amulettes, amulets), quærátis (vel: portétis, adhibeátis).

Candidati:

Absit a nobis.

Celebrans:

Christum Iesum, qui solus véritas est, ne deserátis, ut haríolos, magos et præstigiatóres íterum adeátis.

Candidati:

Absit a nobis.

Formula supradicta, pro opportunitate, accommodari potest.

372. Ad n. 92: Lectiones biblicæ pro Ordine ad catechumenos faciendos:

Gen 12, 1-4a: « Egredere de terra tua, et veni in terram, quam monstrabo tibi ».

In diebus illis: Dixit Dominus ad Abram ... 4 usque ad Dominus.

Io 1, 35-42: « Ecce Agnus Dei. Invenimus Messiam ».

In illo tempore: Stabat Ioannes et ex discipulis eius duo ...

Seligi etiam possunt alii textus apti.

Psalmi responsorii

Ps 32, 4-5. 12-13. 18-19. 20 et 22.

℟. (12b): Beatus populus, quem elegit Dominus in hereditatem sibi.

vel (22): Fiat misericordia tua, Domine, super nos, quemadmodum speravimus in te.

373. Ad nn. 113-118: Aliæ orationes exorcismi ad libitum:

1

Orémus.

Dómine Iesu Christe, hóminum amátor et redémptor,
in cuius nómine omnes salvos fíeri opórtet,
cui omne genu fléctitur
cæléstium, terréstrium et infernórum,
pro his fámulis tuis,
qui te verum Deum adórant,
te súpplices deprecámur:
eórum corda illúmina et pérspice;
omnem inimíci tentatiónem et invídiam ab eis ámove;

eórum peccáta et infirmitátes sana,
ut, voluntátem tuam beneplacéntem et perféctam probántes,
Evangélio tuo perseveránter obœ́diant
et commoratióne Spíritus Sancti digni efficiántur.
Qui vivis et regnas in sǽcula sæculórum.
℟. Amen.

2

Orémus.

Dómine Iesu Christe,
qui, a Patre missus et a Spíritu Sancto unctus,
prophétæ oráculum in synagóga adimplére voluísti,
captívis libertátem prædicándo annúmque Deo placábilem,
te súpplices exorámus pro his fámulis tuis,
qui aures ad te et corda inténdunt:
præsta, ut opportúnum grátiæ tempus recípiant.
Ne mente angustiáti permáneant,
neque, in carnis conversántes desidériis,
a spe promissiónum alienáti
et spirítui diffidéntiæ obœdiéntes;
sed pótius, in te credéntes,
cui Pater ómnia subiécit et quem super omnes constítuit,
Spirítui fídei et grátiæ se submíttant,
ut spem vocatiónis suæ servántes,
dignitátem pópuli sacerdotális consequántur,
et novæ Ierúsalem affluénter exsúltent lætítia.
Qui vivis et regnas in sǽcula sæculórum.
℟. Amen.

3

Orémus.

Dómine Iesu Christe,
qui sedáta tempestáte et dæmoníacis liberátis,
publicánum Matthǽum ad te vocásti,
ut misericórdiæ tuæ redderétur exémplum

10 (5048)

et in sǽcula memoráret mandátum tuum
omnes docéndi gentes,
súpplices te rogámus pro his fámulis tuis,
qui se peccatóres profiténtur.
Advérsam inimíci potestátem cohibére dignéris,
et præsta, ut ipsi, tuam expérti misericórdiam,
a vulnéribus peccáti sanéntur pacémque cordis invéniant,
novitáte Evangélii delecténtur
et vocatiónem tuam pleno corde sequántur.
Qui vivis et regnas in sǽcula sæculórum.
℟. Amen.

4

Orémus.

Deus altíssimæ sapiéntiæ,
qui Paulum apóstolum vocásti,
ut inter gentes Fílium tuum evangelizáret,
te súpplices deprecámur pro his fámulis tuis,
qui Baptísmum sanctum exóptant:
præsta, ut, Apóstolum géntium imitántes,
non acquiéscant carni et sánguini,
sed grátiæ tuæ váleant assentíri.
Scrutáre ígitur et purífica corda eórum,
ut, ab omni fallácia liberáti,
quæ retro sunt obliviscéntes et ad futúra sese extendéntes,
exístiment ómnia detriméntum esse
propter eminéntem sciéntiam Christi Fílii tui,
eúmque lucrifáciant.
Qui vivit et regnat in sǽcula sæculórum.
℟. Amen.

5

Orémus.

Deus, pópuli tui sancti auctor et redémptor,
qui hos catechúmenos, mirábili dilectióne, ad te attraxísti,

hódie, respíciens eos
eorúmque corda puríficans,
dispensatiónem mystérii tui in eis adímpleas,
ut, Christum sincéro corde sequéntes,
aquam salútis hauríre mereántur.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

374. Ad nn. 121-124: Aliæ orationes benedictionis catechumenorum:

1

Orémus.

Dómine Deus noster,
qui in altis hábitas et humília réspicis,
qui ad salútem humáni géneris misísti Fílium tuum,
Deum ac Dóminum nostrum Iesum Christum,
réspice servos tuos catechúmenos,
suas tibi cervíces humíliter inclinántes:
dignos fac ipsos lavácro regeneratiónis,
remissióne peccatórum et induménto incorruptiónis;
ággrega eos sanctæ tuæ cathólicæ et apostólicæ Ecclésiæ,
ut ipsi nobíscum nomen tuum gloríficent.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

2

Orémus.

Deus, ómnium Dóminus,
qui per unigénitum Fílium tuum deturbásti Sátanam
et, solútis vínculis eius, hómines liberásti captívos,
grátias tibi ágimus pro catechúmenis, quos vocásti:
confirméntur in fide,
ut cognóscant te solum Deum verum,

et quem misísti Iesum Christum;
servéntur mundi corde et virtúte profíciant,
ut lavácro regeneratiónis sanctísque mystériis digni fiant.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

3

Orémus.

Deus, qui omnes hómines vis salvos fíeri
et ad agnitiónem veritátis veníre,
fidem tuam córdibus eórum,
qui ad Baptísmum præparántur, benígnus infúnde,
eosque Ecclésiæ tuæ sanctæ ággrega miserátus,
ut immortalitátis dono digni efficiántur.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

4

Orémus.

Dómine Deus omnípotens,
Pater Salvatóris nostri Iesu Christi,
pro his fámulis tuis cleménter áspice:
omnes idololatríæ a méntibus eórum expélle relíquias;
in córdibus eórum legem tuam et præcépta tua confírma;
adduc eos ad plenam agnitiónem veritátis,
et præpara eos, ut, per regeneratiónem baptísmi,
fiant templum Spíritus Sancti.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

5

Orémus.

Réspice, Dómine, fámulos tuos,
qui adhærent nómini tuo sancto
et inclínant cápita sua coram te:

ádiuva eos in omne opus bonum;
éxcita corda eórum,
ut, mémores óperum et mandatórum tuórum,
ad ómnia, quæ tua sunt, alácriter festínent.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

374 bis Ad n. 141: Textus Missæ ritualis pro electione:

Ant. ad introitum — Ps 104, 3-4

Lætétur cor quæréntium Dóminum. Quǽrite Dóminum et confirmámini, quǽrite fáciem eius semper.

Collecta

Deus, qui, licet salútem hóminum semper operáris,
nunc tamen pópulum tuum grátia abundantióre lætíficas,
réspice propítius ad electiónem tuam,
ut piæ protectiónis auxílium
et regenerándos múniat et renátos.
Per Dóminum.

Super oblata

Omnípotens sempitérne Deus, qui nos ad ætérnam vitam
in confessióne tui nóminis baptísmatis réparas sacraménto,
súscipe tuórum múnera et vota famulórum,
ut in te sperántium et desidéria iúbeas pérfici et peccáta deléri.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Eph 1, 7

In Christo habémus redemptiónem per sánguinem eius,
remissiónem peccatórum, secúndum divítias grátiæ eius.

Post communionem

Puríficent nos, quǽsumus, Dómine,
sacraménta quæ súmpsimus,

et fámulos tuos ab omni culpa líberos esse concéde,
ut, qui consciéntiæ reátu constringúntur,
cæléstis remédii plenitúdine gloriéntur.
Per Christum.

Sumi potest etiam Missa feriæ sextæ hebdomadæ IV in Quadragesima.

375. Ad n. 148: Forma alia deprecationis post electionem:

Ut elécti nostri gáudium in cotidiána oratióne háuriant:

℟. Te rogámus, audi nos.

Ut, frequénter te orántes, magis ac magis tecum coniúncti vivant:

℟. Te rogámus, audi nos.

Ut verbum tuum légere et corde gáudeant meditári:

℟. Te rogámus, audi nos.

Ut, deféctus suos humíliter agnoscéntes, strénue eos incípiant emendáre:

℟. Te rogámus, audi nos.

Ut opus cotidiánum in oblatiónem tibi gratam convértant:

℟. Te rogámus, audi nos.

Ut síngulis diébus Quadragésimæ áliquid tibi devóveant:

℟. Te rogámus, audi nos.

Ut a quálibet mácula, qua cordis mundítia inquinátur, forti ánimo abstíneant:

℟. Te rogámus, audi nos.

Ut virtútem et sanctitátem vitæ dilígere et serváre assuéscant:

℟. Te rogámus, audi nos.

Ut, sui ipsíus amóri abrenuntiántes, áliis magis quam sibi cónsulant:

℟. Te rogámus, audi nos.

Ut eórum famílias benígne custódias et benedícas:

℟. Te rogámus, audi nos.

Ut lætítiam ex fide comparátam cum céteris commúnicent:

℟. Te rogámus, audi nos.

376. Ad n. 160: Lectiones pro I scrutinio:

Lectio I. Ex 17, 3-7: « Da nobis aquam, ut bibamus ».
In diebus illis: Sitivit populus præ aquæ penuria ...

Psalmus responsorius: Ps 94, 1-2. 6-7. 8-9.
℟. (8): Utinam hodie vocem eius audiatis, nolite obdurare corda vestra.

Lectio II. Rom 5, 1-2. 5-8: Caritas Dei diffusa est in nobis per Spiritum Sanctum qui datus est nobis.
Fratres: Iustificati ex fide, pacem habemus ad Deum ...

Versus ante Evangelium. Io 4, 42 et 15: Domine, tu es vere Salvator mundi; da mihi aquam vivam, ut non sitiam.

Evangelium. Io 4, 5-42 (longior) vel 5-15. 19b-26. 39a. 40-42 (brevior): « Fons aquæ salientis in vitam æternam ».
In illo tempore: Venit Iesus in civitatem Samariæ ...

377. Ad n. 160: Textus pro Missa in qua celebratur I scrutinium:

Collecta

Da, quǽsumus, Dómine, eléctis nostris
digne atque sapiénter ad confessiónem tuæ laudis accédere,
ut dignitáte prístina,
quam origináli transgressióne perdidérunt,
per tuam glóriam reforméntur.
Per Dóminum.

Super oblata

Miserátio tua, Deus,
ad hæc percipiénda mystéria fámulos tuos, quǽsumus,
et prævéniat competénter et devóta conversatióne perdúcat.
Per Christum.

Meménto de patrinis (in Canone Romano):

Meménto, Dómine, famulórum famularúmque tuárum,
qui eléctos tuos susceptúri sunt
ad sanctam grátiam Baptísmi tui
et recitantur nomina patrinorum et matrinarum,
et ómnium circumstántium,
quorum tibi fides cógnita est ...

Hanc ígitur proprium:

Hanc ígitur oblatiónem, Dómine,
ut propítius suscípias deprecámur,
quam tibi offérimus pro fámulis et famulábus tuis,
quos ad ætérnam vitam
et beátum grátiæ tuæ donum numeráre,
elígere atque vocáre dignátus es.
(Per Christum Dóminum nostrum. Amen).

Post communionem

Adésto, Dómine, quǽsumus, redemptiónis efféctibus,
ut quos sacraméntis æternitátis institúes,

eósdem prótegas dignánter aptándos.
Per Christum.

378. Ad n. 163: Forma alia deprecationis ad libitum pro I scrutinio:

Ut elécti nostri, sicut Samaritána múlier, vitam suam coram Christo récolant et própria peccáta agnóscant, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Ut a spíritu diffidéntiæ, qui a via Christi gressus hóminum abdúcit, liberéntur, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Ut, donum Dei exspectántes, aquam vivam, in vitam ætérnam saliéntem, toto corde exóptent, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Ut, Fílium Dei suscipiéntes magístrum, veri adoratóres Dei Patris in spíritu et veritáte evádant, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Ut, mirábilem Christi occúrsum expérti, amícis étiam et cívibus lætum eius núntium pérferant, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Ut omnes in orbe páuperes et verbo Dei egéntes ad Evangélium Christi váleant accédere, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Ut nos omnes a Christo edoceámur et, voluntátem Patris diligéntes, opus eius amánter perficiámus, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

379. Ad n. 164: Forma alia exorcismi pro I scrutinio:

Orémus.

Misericordiárum Pater,
qui per Fílium tuum benígnus Samaritánæ misértus es
et, eádem patérna sollicitúdine permótus,
ómnibus peccatóribus salútem obtulísti,
exímia dilectióne tua hos réspice eléctos,
qui adoptiónem filiórum per sacraménta
exóptant accípere:
solve eos a peccáti servitúte et a gravi iugo Sátanæ,
ut suáve Iesu iugum suscípiant;
prótege eos in ómnibus perículis,
ut, tibi in pace et gáudio fidéliter serviéntes,
tibi étiam grátias in perpétuum váleant reférre.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

Dómine Iesu, qui miro misericórdiæ tuæ consílio
mulíerem peccatrícem convertísti,
ut in spíritu deínceps et in veritáte Patrem adoráret,
nunc a perniciósis Sátanæ fráudibus
hos eléctos poténter líbera,
qui ad fontem aquæ vivæ propínquant;
corda eórum in virtúte Spíritus Sancti convérte,
ut in sincéra fide, quæ per caritátem operátur,
Patrem tuum agnóscant.
Qui vivis et regnas in sǽcula sæculórum.
℟. Amen.

380. Ad n. 167: Lectiones pro II scrutinio:

Lectio I. 1 Sam 16, 1b. 6-7. 10-13a: David ungitur in regem super Israel.

In diebus illis: Dixit Dominus ad Samuelem: Imple cornu tuum oleo ... 6 Cumque ingressus esset, vidit Eliab ...

Psalmus responsorius: Ps 22, 1-3a. 3b-4. 5. 6.
℟. (1): Dominus pascit me, et nihil mihi deerit.

Lectio II. Eph 5, 8-14: « Exsurge a mortuis, et illuminabit tibi Christus ».
Fratres: Eratis aliquando tenebræ ...

Versus ante Evangelium. Io 8, 12b: Ego sum lux mundi, dicit Dominus; qui sequitur me, habebit lumen vitæ.

Evangelium. Io 9, 1-41 (longior) vel 1. 6-9. 13-17. 34-38 (brevior): « Abiit, et lavit, et venit videns ».
In illo tempore: Præteriens Iesus vidit hominem cæcum ...
(brevior) In illo tempore: Præteriens Iesus vidit hominem cæcum ... 6 Et exspuit in terram ...

Seligi etiam potest ad libitum Ex 13, 21-22.

381. Ad n. 167: Textus pro Missa in qua celebratur II scrutinium:

Collecta

Omnípotens sempitérne Deus,
Ecclésiam tuam spirituáli iucunditáte multíplica,
ut, qui sunt generatióne terréni,
fiant regeneratióne cæléstes.
Per Dóminum.

Super oblata

Remédii sempitérni múnera, Dómine,
lætántes offérimus, supplíciter exorántes,
ut éadem nos et digne venerári
et pro salvándis congruénter exhibére perfícias.
Per Christum.

Meménto pro patrinis et Hanc ígitur proprium, ut supra, n. 377.

Post communionem

Tu semper, quǽsumus, Dómine,
tuam attólle benígnus famíliam,

tu dispóne corréctam, tu propítius tuére subiéctam,
tu gubérna perpétua bonitáte salvándam.
Per Christum.

382. Ad n. 170: Forma alia deprecationis pro II scrutinio:

Ut, fugátis ténebris, córdibus electórum nostrórum ipse illucéscat, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Ut ipse eos ad Christum suum, lumen huius mundi factum, benígnus addúcat, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Ut elécti nostri, corda sua aperiéntes, Deum confiteántur príncipem lúminis et testem veritátis, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Ut, ab eódem sanáti, ab incredulitáte huius mundi servéntur, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Ut, ab illo salváti, qui tollit peccátum mundi, ab huius peccáti contagióne et pressúra liberéntur, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Ut, a Spíritu Sancto illumináti, Evangélium salútis indesinénter profiteántur ceterísque tradant, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Ut nos omnes, morum exémplo nostrórum, lux mundi et ipsi in Christo inveniámur, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Ut omnes terræ habitatóres verum Deum, creatórem ómnium agnóscant, qui nobis homínibus spíritum et vitam largítur, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

383. Ad n. 171: Forma alia exorcismi pro II scrutinio:

Orémus.

Deus, lumen indefíciens et pater lúminum,
qui per Christi tui mortem et resurrectiónem
ténebras mendácii et ódii exturbásti
et lucem veritátis et amóris in humánam famíliam effudísti,
concéde, quǽsumus, ut elécti tui,
quos inter adoptiónis fílios vocásti,
a ténebris ad claritátem váleant transíre
et, ab omni potestáte príncipis tenebrárum liberáti,
indesinénter máneant fílii lucis.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

Dómine Iesu, qui ipse baptizátus
de cælis apértis accepísti Spíritum Sanctum,
ut in eo páuperes evangelizáres et cæcis restitúeres visum
hunc Spíritum effúnde in eos, qui sacraménta tua cúpiunt,
ut, a contagióne erróris, dúbii et incredulitátis præserváti
rectáque fide ducti,
óculis sanátis et eréctis te váleant contemplári.
Qui vivis et regnas in sǽcula sæculórum.
℟. Amen.

384. Ad n. 174: Lectiones pro III scrutinio:

Lectio I. Ez 37, 12-14: « Dabo spiritum meum in vobis et vivetis ».
Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego aperiam tumulos vestros ...

Psalmus responsorius. Ps 129, 1-2. 3-4ab. 4c-6. 7-8.
℟. (7): Apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio.

Lectio II. Rom 8, 8-11: « Spiritus eius qui suscitavit Iesum a mortuis habitat in vobis ».
Fratres: Qui in carne sunt, Deo placere non possunt ...

Versus ante Evangelium. Io 11, 25a et 26: Ego sum resurrectio et vita, dicit Dominus; qui credit in me non morietur in æternum.

Evangelium. Io 11, 1-45 (longior) vel 3-7. 17. 20-27. 33b-45 (brevior): « Ego sum resurrectio et vita ».
In illo tempore: Era quidam languens Lazarus ...
(brevior) In illo tempore: Miserunt sorores Lazari ad Iesum, dicentes ... 33 Iesus ergo fremuit ...

385. Ad n. 174: Textus pro Missa in qua celebratur III scrutinium:

Collecta

Concéde, Dómine, eléctis nostris,
ut, sanctis edócti mystériis,
et renovéntur fonte baptísmatis
et inter Ecclésiæ tuæ membra numeréntur.
Per Dóminum.

Super oblata

Exáudi nos, omnípotens Deus,
et fámulos tuos, quos fídei christiánæ primítiis imbuísti,
huius sacrifícii tríbuas operatióne mundári.
Per Christum.

Meménto pro patrinis et Hanc ígitur proprium, ut supra, n. 377.

Post communionem

Concúrrat, Dómine, quǽsumus, pópulus tuus
et toto tibi corde subiéctus obtíneat,
ut, ab omni perturbatióne secúrus,
et salvatiónis suæ gáudia promptus exérceat
et pro regenerándis benígnus exóret.
Per Christum.

386. Ad n. 177: Forma alia deprecationis pro III scrutinio:

Ut his eléctis fides donétur, qua Christum resurrectiónem et vitam esse fateántur, Dóminum precémur.
℟. Exáudi, Dómine.

Ut, a peccátis liberáti, fructum hábeant in sanctificatiónem et vitam ætérnam, Dóminum precémur.
℟. Exáudi, Dómine.

Ut, solútis per pæniténtiam vínculis peccáti, Christo confórmes per Baptísmum evádant et, peccáto mórtui, Deo semper vivant, Dóminum precémur.
℟. Exáudi, Dómine.

Ut, vivificántis Spíritus spem habéntes, ad renovatiónem vitæ strénue se dispónant, Dóminum precémur.
℟. Exáudi, Dómine.

Ut per cibum eucharísticum, quem próxime gustábunt, cum ipso auctóre vitæ et resurrectiónis sociéntur, Dóminum precémur.
℟. Exáudi, Dómine.

Ut nos omnes, in novitáte vitæ ambulántes, virtútem resurrectiónis Christi mundo ostendámus, Dóminum precémur.
℟. Exáudi, Dómine.

Ut omnes terræ habitatóres, Christum inveniéntes, in ipso promissiónes vitæ ætérnæ agnóscant, Dóminum precémur.
℟. Exáudi, Dómine.

387. Ad n. 178: Forma alia exorcismi pro III scrutinio:

Orémus.

Pater, omnis vitæ fons,
qui in hómine vivénte glóriam tuam quæris
et in resurrectióne mortuórum omnipoténtiam tuam revélas,

hos eléctos a mortis império erípere dignéris,
qui per Baptísmum ad vitam accédere cúpiunt.
Líbera eos a diáboli servitúte,
qui per peccátum mortem indúxit
et mundum, quem bonum creásti, corrúmpere sátagit.
Súbice eos potestáti Fílii dilectiónis tuæ,
ut resurrectiónis virtútem ab eo accípiant
et glóriam tuam coram homínibus testificéntur.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Dómine Iesu Christe,
qui Lázarum e túmulo vivum exíre iussísti
et resurrectióne tua omnes a morte hómines liberásti,
te humíliter deprecámur pro fámulis tuis,
qui ad aquam regeneratiónis et ad cenam vitæ festínant:
ne permíttas eos mortis império detinéri,
qui fide sua
in victória resurrectiónis tuæ partem habébunt.
Qui vivis et regnas in sǽcula sæculórum.

℟. Amen.

PRO CELEBRATIONE BAPTISMI

388. Ad nn. 253 et 345: Lectiones biblicæ pro initiatione christiana extra Vigiliam paschalem:

Lectiones e Vetere Testamento

1. Gen 15, 1-6. 18a: « Sic erit semen tuum. Semini tuo dabo terram hanc ».
In diebus illis: Factus est sermo Domini ad Abram ...

2. Gen 17, 1-8: « Statuam pactum meum inter me et te, et inter semen tuum post te in generationibus suis, fœdere sempiterno ».
Postquam Abram nonaginta et novem annorum esse cœperat ...

3. Gen 35, 1-4. 6-7a: « Abicite deos alienos qui in medio vestri sunt ».
In diebus illis: Locutus est Deus ad Iacob ... 7 usque ad domus Dei.

4. Deut 30, 15-20: « Elige vitam, ut et tu vivas et semen tuum ».
Locutus est Moyses populo dicens: Considera quod hodie proposuerim ...

5. Ios 24, 1-2a. 15-17. 18b-25a: « Serviemus Domino, quia ipse est Deus noster ».
In diebus illis: Congregavit Iosue omnes tribus Israel ... 2 usque ad locutus est; 15 Si malum vobis videtur ... 25 usque ad die illo fœdus.

6. 2 Reg 5, 9-15a: « Descendit Naaman et lavit in Iordane septies, et mundatus est ».
In diebus illis: Venit Naaman [princeps militiæ regis Syriæ] cum equis et curribus ...

7. Is 44, 1-3: « Effundam spiritum meum super semen tuum ».
Audi, Iacob, serve meus ...

8. Ier 31, 31-34: « In corde eorum scribam legem meam ».
Ecce dies veniunt, dicit Dominus ...

9. Ez 36, 24-28: « Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris ».
Hæc dicit Dominus: Tollam vos de gentibus ...

Vel lectiones Veteris Testamenti pro Vigilia paschali propositæ.

LECTIONES E NOVO TESTAMENTO

1. Act 2, 14a. 36-40a. 41-42: « Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi ».
[Die Pentecostes], stans Petrus cum undecim levavit vocem suam et locutus est: Certissime sciat domus Israel ... 40 usque ad dicens.

2. Act 8, 26-38: « Ecce aqua: quid prohibet me baptizari? »
In diebus illis: Angelus Domini locutus est ad Philippum ...

3. Rom 6, 3-11 (longior) vel 3-4. 8-11 (brevior): « Consepulti cum illo per baptismum, in novitate vitæ ambulemus ».
Fratres: Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu ...

4. Rom 8, 28-32. 35. 37-39: « Quis nos separabit a caritate Christi? »
Fratres: Scimus quoniam diligentibus Deum ...

5. 1 Cor 12, 12-13: « In uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus ».
Fratres: Sicut corpus unum est ...

6. Gal 3, 26-28: « Quicumque baptizati estis, Christum induistis ».
Fratres: Omnes filii Dei estis ...

7. Eph 1, 3-10. 13-14: « Prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum ».
Fratres: Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi ...

8. Eph 4, 1-6: « Unus Dominus, una fides, unum baptisma ».
Fratres: Obsecro vos ego, vinctus in Domino ...

9. Col 3, 9b-17: « Induentes novum hominem, sicut dilecti Dei ».
Fratres: Exuistis vos veterem hominem cum actibus eius, et induistis novum ...

10. Tit 3, 4-7: « Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti ».
Carissime: Cum benignitas et humanitas ...

11. Hebr 10, 22-25: « Aspersi corda a conscientia mala et abluti corpus aqua munda ».
Fratres: Accedamus cum vero corde ..

12. 1 Petr 2, 4-5. 9-10: « Vos autem genus electum, regale sacerdotium ».
Carissimi: Ad Dominum accedentes ...

13. Ap 19, 1. 5-9a: « Beati qui ad cenam nuptiarum Agni vocati sunt ».
Ego Ioannes audivi quasi vocem ... 9 usque ad vocati sunt.

Psalmi responsorii

1. Ps , 4-5. 6-7. 8-9.
℟. (2a): Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!
vel (Eph 5, 14): Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit tibi Christus.

2. Ps 22, 1-3a. 3b-4. 5. 6.
℟. (1): Dominus pascit me, et nihil mihi deerit.
vel (1 Petr 2, 25): Eratis sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad pastorem animarum vestrarum.

3. Ps 26, 1. 4. 8b-9abc. 13-14.
℟. (1a): Dominus illuminatio mea et salus mea.
vel (Eph 5, 14) ut supra, n. 1.

4. Ps 31, 1-2. 5. 11.
℟. (1a): Beatus cui remissa est iniquitas.
vel (11a): Lætamini in Domino et exsultate, iusti.

5. Ps 33, 2-3. 6-7. 8-9. 14-15. 16-17. 18-19.
℟. (6a): Respicite ad eum, et illuminamini.

6. Ps 41, 2-3; Ps 42, 3. 4.
℟. (Ps 41, 3a): Sitivit anima mea ad Deum vivum.

7. Ps 50, 3-4. 8-9. 12-13. 14 et 17.
℟. (12a): Cor mundum crea in me, Deus.
vel (Ez 36, 26): Dabo vobis cor novum et spiritum novum in medio vestri.

8. Ps 62, 2. 3-4. 5-6. 8-9a.
℟. (2b): Sitit in te anima mea, Domine, Deus meus.

9. Ps 65, 1-3a. 8-9. 16-17.
℟. (1): Iubilate Deo, omnis terra.

10. Ps 88, 3-4. 16-17. 21-22. 25 et 27.
℟. (2a): Misericordias Domini in æternum cantabo.

11. Ps 125, 1-2ab. 2cd-3. 4-5. 6.
℟. (3): Magnificavit Dominus facere nobiscum; facti sumus lætantes.

Alleluia et Versus ante Evangelium

1. Io 3, 16: Sic dilexit Deus mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum habeat vitam æternam.

2. Io 8, 12: Ego sum lux mundi, dicit Dominus;
qui sequitur me habebit lumen vitæ.

3. Io 14, 6: Ego sum via et veritas et vita, dicit Dominus;
nemo venit ad Patrem, nisi per me.

4. Eph 4, 5-6: Unus Dominus, una fides, unum baptisma;
unus Deus et Pater.

5. Col 2, 12: Consepulti sumus Christo in baptismo,
in quo et conresuscitati.

6. Col 3, 1: Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens.

7. 2 Tim 1, 10b: Salvator noster Iesus Christus destruxit mortem, et illuminavit vitam per Evangelium.

8. 1 Petr 2, 9: Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta; virtutes annuntiate eius qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.

EVANGELIA

1. Mt 16, 24-27: « Si quis vult post me venire, abneget semetipsum ».
In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis ...

2. Mt 28, 18-20: « Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti ».
In illo tempore: Accedens Iesus locutus est [undecim] discipulis dicens ...

3. Mc 1, 9-11: « Baptizatus est in Iordane ab Ioanne ».
In diebus illis venit Iesus a Nazareth Galilææ ...

4. Mc 10, 13-16: « Quisquis non receperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud ».
In illo tempore: Offerebant Iesu parvulos ...

5. Mc 16, 15-16. 19-20: « Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit ».
In illo tempore: [Apparens Iesus undecim] dixit eis: Euntes in mundum universum ...

6. Lc 24, 44-53: « Oportebat prædicari in nomine eius pænitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes ».
In illo tempore: Dixit Iesus ad discipulos suos: Hæc sunt verba ...

7. Io 1, 1-5. 9-14. 16-18: « Dedit potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius ».
In principio erat Verbum ...

8. Io 1, 29-34: « Ecce Agnus Dei qui tollit peccatum mundi ».
In illo tempore: Vidit Ioannes Iesum venientem ad se ...

9. Io 3, 1-6: « Nisi quis natus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei ».
Erat homo ex pharisæis ...

10. Io 3, 16-21: « Ut omnis qui credit in eum habeat vitam æternam ».
In illo tempore: Dixit Iesu Nicodemo: Sic dilexit Deus mundum ...

11. Io 12, 44-50: « Ego lux in mundum veni ».
In illo tempore: Clamavit Iesus et dixit ...

12. Io 15, 1-11: « Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum ».
In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Ego sum vitis vera ...

389. Ad nn. 215, 216, 258, 349: Aliæ formulæ benedictionis aquæ:

1

Celebrans:

Benedíctus Deus, Pater omnípotens, qui aquam ad purificándum et vivificándum creásti.

Omnes:

Benedíctus Deus (vel alia apta acclamatio).

Celebrans:

Benedíctus Deus, Fili unigénite, Iesu Christe, qui de látere aquam cum sánguine profudísti, ut ex morte et resurrectióne tua nascerétur Ecclésia.

Omnes:

Benedíctus Deus.

Celebrans:

Benedíctus Deus, Spíritus Sancte, qui Christum ad aquas Iordánis baptizátum unxísti, ut omnes nos in te baptizémur.

Omnes:

Benedíctus Deus.

Celebrans:

* Adésto nobis, Dómine, Pater unus, et sanctífica creatúram aquæ, ut, in ea baptizáti, hómines a peccáto abluántur et ad vitam tuórum renascántur adoptiónis filiórum.

Omnes:

Exáudi nos, Dómine (vel alia apta invocatio).

Celebrans:

Sanctífica creatúram aquæ, ut, qui per eam in mortem et resurrectiónem Christi baptizántur, confórmes in ipso fiant imágini Fílii tui.

Omnes:

Exáudi nos, Dómine.

Celebrans manu dextera tangit aquam et pergit:

Sanctífica hanc creatúram aquæ, ut Spíritu Sancto regenseréntur quos elegísti, et partem hábeant populi sancti tui.

Omnes:

Exáudi nos, Dómine.

* Quoties præsto est aqua baptismalis iam benedicta, omissis invocationibus Adésto nobis, et iis quæ sequuntur, celebrans dicit:

Huius aquæ benedíctæ mystério,
ad spirituálem regeneratiónem introdúcere dignáre
fámulos tuos (N. et N.) et fámulas tuas (N. et N.),
quos ad hoc lavácrum vocásti,
ut hábeant vitam ætérnam.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

2

Celebrans:

Clementíssime Pater, qui de Baptísmatis fonte novam filiórum tuórum vitam in nobis scaturíre fecísti.

Omnes:

Benedíctus Deus (vel alia apta acclamatio).

Celebrans:

Qui ex aqua et Spíritu Sancto in unum pópulum omnes baptizátos in Fílio tuo Iesu Christo coadunáre dignáris.

Omnes:

Benedíctus Deus.

Celebrans:

Qui caritátis tuæ Spíritu, quem córdibus infúndis, nos líberas, ut tua pace fruámur.

Omnes:

Benedíctus Deus.

Celebrans:

Qui baptizátos éligis, ut in ómnibus géntibus Evangélium Christi tui lætánter annúntient.

Omnes:

Benedíctus Deus.

Celebrans:

* Hanc aquam benedícere ✠ nunc dignáre,
qua baptizándi sunt
fámuli tui (N. et N.) et fámulæ tuæ (N. et N.),
quos ad lavácrum regeneratiónis vocásti,
ut hábeant vitam ætérnam.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

* Quoties præsto est aqua baptismalis iam benedicta, omissa invocatione Hanc aquam benedícere, celebrans dicit:

Huius aquæ benedíctæ mystério,
ad spirituálem regeneratiónem introdúcere dignáre
fámulos tuos (N. et N.) et fámulas tuas (N. et N.),
quos ad hoc lavácrum vocásti,
ut hábeant vitam ætérnam.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

Acclamationes, hymni et troparia

390.

Acclamationes e libris sacris desumptæ:

1. Quis símilis tui in fórtibus, Dómine?
Quis símilis tui, magníficus in sanctitáte,
terríbilis atque laudábilis, fáciens mirabília? (Ex 15, 11).

2. Deus lux est:
et ténebræ in eo non sunt ullæ (1 Io 1, 5).

3. Deus cáritas est:
et qui manet in caritáte in Deo manet (1 Io 4, 16).

4. Unus Deus et Pater ómnium,
qui est super omnes et per ómnia
et in ómnibus nobis (Eph 4, 6).

5. Respícite ad eum et illuminámini (Ps 33, 6).

6. Benedíctus Deus,
qui elégit vos in Christo (cf. Eph 1, 3-4).

7. Dei factúra estis, creáti in Christo Iesu (Eph 2, 10).

8. Caríssimi, nunc fílii Dei estis:
et nondum manifestátum est quid éritis (1 Io 3, 2).

9. Qualem caritátem dedit vobis Pater,
ut fílii Dei nominémini et sitis (1 Io 3, 1).

10. Beáti qui lavant stolas suas
in sánguine Agni (Ap 22, 14).

11. Omnes vos unum estis in Christo Iesu (Gal 3, 28).

12. Estóte imitatóres Dei et ambuláte in dilectióne,
sicut et Christus diléxit nos (Eph 5, 1-2).

Hymni secundum stilum Novi Testamenti:

13. Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Iesu Christi,
qui secúndum magnam misericórdiam suam
regenerávit nos in spem vivam,
per resurrectiónem Iesu Christi ex mórtuis,
in hereditátem incorruptíbilem,
conservátam in cælis propter vos
in salútem témpore novíssimo revelándam! (1 Petr 1, 3-5)

14. Magnum est pietátis sacraméntum,
ante mundi constitutiónem præcógnitum,
novíssimis tempóribus manifestátum:
Christus Iesus,
carne passus et mortificátus,
spíritu vivificátus,
géntibus prædicátus,
in mundo créditus,
in cælum proféctus,
dona lárgiens homínibus,
in glória super omnes cælos assúmptus,
ut impléret ómnia! (Cf. 1 Tim 3, 16)

Troparia ex antiquitate et liturgiis selecta:

15. In te crédimus, Christe:
tuum córdibus lumen infúnde, ut lucis fílii efficiámur.

16. Ad te venímus, Dómine:
tuam ánimis vitam largíre, ut adoptiónis fílii in te evadámus.

17. E látere tuo, Christe, fons aquæ prorúpit,
quo abluúntur mundi sordes et vita renovátur.

18. Super aquas Patris vox ádvocat, glória Fílii refúlget,
et Spíritus Sancti cáritas vivíficat.

19. Ecclésia sancta, manus exténde
et natos illos súscipe,
quos ex aquis regénerat Sanctus Dei Spíritus.

20. Gaudéte, baptizáti,
eléсta vasa regni,
in morte consepúlti,
Christi fide renáti.

21. Fons hic est vitæ, qui totum déluit orbem,
sumens de Christi vúlnere princípium.
Cælórum regnum speráte, hoc fonte renáti.

391. Ad n. 233: Memoria neophytorum in Precibus eucharisticis:

a) IN PRECE EUCHARISTICA II

Post verba univérso clero addatur:

Recordáre quoque, Dómine, neophytórum,
qui hódie per Baptísmum (et Confirmatiónem)
famíliæ tuæ adiúncti sunt,
ut Christum, Fílium tuum,
corde magno et ánimo voléntі sequántur.
Meménto étiam ...

b) IN PRECE EUCHARISTICA III

Post verba adésto propítius addatur:

Confórta, quǽsumus, in sancto propósito fámulos tuos,
qui hódie per lavácrum regeneratiónis
(et donatiónem Sancti Spíritus)
plebi tuæ aggregáti sunt,
et concéde, ut in novitáte vitæ semper procédant.
Omnes fílios ...

c) IN PRECE EUCHARISTICA IV

Post verba et circumstántium addatur:

et neophytórum, quos hódie
ex aqua et Spíritu Sancto regenerásti,
et cuncti pópuli tui ...

392. Ad n. 339: Forma alia orationis exorcismi, modo dialogi expressa:

Celebrans, admonens pueros ut secum Deum orent, ait:

Pater clementíssime,
réspice N. et N., qui mox baptizabúntur.

Pueri:

Audívimus verba Iesu éaque dilígimus.

Celebrans:

Conántur revéra vívere ad instar filiórum tuórum,
sed árduam rem esse repériunt.

Pueri:

Ita, Pater, vellémus ágere semper quod tibi placet,
advérsum vero impúlsum in nobis esse sentímus.

Celebrans:

Pater clementíssime,
púeros istos líbera a spíritu ignáviæ et mali,
et præsta ipsis ut semper incédant in lúmine tuo.

Pueri:

Vólumus ambuláre cum Iesu,
qui pro nobis vitam suam pósuit:
Pater, ádiuva nos.

Celebrans:

Si quando cóncidant in via.
agéntes quod dísplicet tibi,
da eis próvidens munus virtútis tuæ, ut váleant resúrgere:
tunc íterum ad te ambulábunt,
cum Iesu Christo Dómino nostro.

Pueri:

Da nobis, Pater, virtútem tuam.

APPENDIX

ORDO ADMISSIONIS VALIDE IAM BAPTIZATORUM IN PLENAM COMMUNIONEM ECCLESIÆ CATHOLICÆ

PRÆNOTANDA

1. Ritus quo quis, in Communitate ecclesiali separata natus et baptizatus, in plenam communionem Ecclesiæ catholicæ, iuxta ritum latinum, recipitur,[1] ita instruitur, ut ad communionem et unitatem instaurandam nihil ultra imponatur oneris, quam quæ necessaria sunt [2] (cf. Act. 15, 28).

2. A christianis autem orientalibus ad plenitudinem communionis catholicæ venientibus non plus exigitur quam quod simplex fidei catholicæ professio exigit, etiamsi, vi recursus ad Sedem Apostolicam, eis permittatur transitus ad ritum latinum.[3]

3. a) Ritus celebrationis appareat tamquam celebratio Ecclesiæ, et culmen suum habeat in communione eucharistica. Inde generatim admissio peragatur intra Missam.

b) Sedulo tamen ea vitentur, quæ quovis modo magnificentiæ studium sapiant. Accurate definiendus est modus, quo hæc Missa, attentis adiunctis, celebrabitur. Ratio habenda est tum boni œcumenici tum vinculi inter candidatum et communitatem parœcialem. Sæpe opportunius erit Missam cum paucis tantum propinquis et amicis celebrare. Si autem gravi de causa Missa celebrari nequeat, admissio habeatur intra liturgiam verbi, quoties saltem hæc sit possibilis. De forma autem eligenda audiatur et ipse admittendus.

4. Si admissio celebratur extra Missam, eius nexus cum communione eucharistica patefiat ex eo, quod celebratio eucharistica, quam noviter admissus primum inter fratres catholicos plene participat, sequatur quam primum.

5. Pro admissione iam baptizati ad plenam communionem Ecclesiæ catholicæ requiritur præparatio candidati tam doctrinalis quam spiritualis secundum necessitates pastorales singulis casibus accom-

[1] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 69b; Decr. de Œcumenismo, *Unitatis redintegratio*, n. 3; Secr. ad unitatem Christianorum fovendam, *Directorium*, n. 19: *A.A.S.* 59 (1967), p. 581.

[2] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de Œcumenismo, *Unitatis redintegratio*, n. 18.

[3] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de Ecclesiis Orientalibus catholicis, *Orientalium Ecclesiarum*, nn. 25 et 4.

modatas. Discat candidatus magis magisque corde adhærere Ecclesiæ, in qua plenitudinem baptismi sui inveniet.

Tempore huius præparationis iam aliqua communicatio in sacris, secundum normas in Directorio de re œcumenica statutas, fieri potest.

Vitetur omnino æquatio candidatorum cum catechumenis.

6. Ab eo qui natus et baptizatus est extra communionem Ecclesiæ catholicæ visibilem, non iam requiritur abiuratio hæresis, sed sola professio fidei.[4]

7. Sacramentum Baptismi iterari nequit, ideoque Baptismum sub condicione iterum conferri non permittitur, nisi adsit prudens dubium de facto vel de validitate Baptismi iam collati. Si seria investigatione peracta, ob prudens dubium de facto vel de validitate Baptismi iam collati, necessarium videtur Baptismum sub condicione iterum conferre, minister opportune explicet rationes propter quas Baptismus, hoc in casu, sub condicione confertur et illum in forma privata ministret.[5]

Ordinarius loci videat, singulis in casibus, quinam ritus in Baptismo sub condicione conferendo servandi, quinam prætermittendi.

8. Episcopi est candidatum admittere. Presbyter tamen, cui celebrationem peragendam committit, facultatem habet confirmandi candidatum in ipso ritu admissionis,[6] nisi admittendus Confirmationem iam valide receperit.

9. Si professio et admissio fiunt intra Missam, admittendus, attenta sua personali condicione, confiteatur peccata sua, postquam confessarium de admissione mox instante certiorem reddiderit. Quam confessionem omnis confessarius rite approbatus recipere potest.

10. Admittendum comitetur, si casus fert, in ipsa admissione, sponsor, nempe vir (vel mulier) qui in adducendo vel præparando candidato præ aliis maiorem partem habuerit; admitti etiam possunt duo sponsores.

11. In ipsa celebratione eucharistica, in qua fit admissio, vel, si hæc fiat extra Missarum sollemnia, in Missa quæ eam sequitur, licet non tantum ipsi admisso sacram communionem sub utraque specie recipere, sed etiam sponsoribus, parentibus, coniugi, si hi sunt

[4] Cf. Secr. ad unitatem Christianorum fovendam, *Directorium*, nn. 19 et 20: *A.A.S.* 59 (1967), p. 581.
[5] Cf. *ibid.*, nn. 14-15: *A.A.S.* 59 (1967), p. 580.
[6] Cf. *Ordo Confirmationis*, Prænotanda, n. 7.

catholici, catechistis laicis qui admittendum forte instruxerint, immo omnibus præsentibus catholicis, si numerus vel alia rerum adiuncta id suadeant.

12. Ritus admissionis a Conferentiis Episcopalibus, iuxta Constitutionem de sacra Liturgia (n. 63), variis rerum adiunctis accommodari potest. Insuper Ordinarius loci, attentis peculiaribus condicionibus personarum aut locorum, poterit ipsum ritum iis aptare, illum pro opportunitate ampliando vel breviando.[7]

13. Nomina admissorum notentur in speciali libro, additis die et loco Baptismi.

[7] Cf. Secr. ad unitatem Christianorum fovendam, *Directorium,* n. 19. *A.A.S.* 59 (1967), p. 581.

CAPUT I

ORDO ADMISSIONIS INTRA MISSAM

14. a) Si admissio fit in sollemnitate vel in dominica, celebretur Missa diei; si autem fit aliis diebus, adhibere licet Missam pro unitate Christianorum.

b) Admissio peragitur post homiliam, in qua cum gratiarum actione mentio fiat Baptismi tamquam fundamenti admissionis, Confirmationis recipiendæ vel receptæ, necnon Ss.mæ Eucharistiæ primum cum catholicis celebrandæ.

c) In fine homiliæ brevi monitione celebrans, his vel similibus verbis, invitat candidatum, ut accedat cum sponsore ad fidem cum communitate profitendam:

N., cum post deliberatiónem matúre in Spíritu Sancto peráctam sponte petíeris, ut ad plenam Ecclésiæ cathólicæ communiónem admittáris, te invíto, ut cum sponsóre tuo progrediáris et coram hac communitáte fidem cathólicam profiteáris. Qua in fide primum hódie nobíscum partem habébis eucharísticæ Dómini Iesu mensæ, in qua únitas Ecclésiæ figurátur.

15. Tunc admittendus simul cum fidelibus astantibus recitat symbolum Nicæno-Constantinopolitanum (cf. p. 69), quod in hac Missa semper dicitur.

Postea admittendus solus, a celebrante invitatus, addit hæc verba:

Credo et profíteor ómnia quæ ut a Deo reveláta
credit, docet et annúntiat sancta Ecclésia cathólica.

16. Tunc celebrans manum dexteram super caput admittendi imponit, nisi Confirmatio statim sequatur, dicens:

Súscipit te, N., in Ecclésiam cathólicam Dóminus,
qui te in misericórdia sua huc addúxit,
ut in Spíritu Sancto
plenam nobíscum hábeas communiónem in fide,
quam proféssus es coram hac família sua.

17. Si admittendus nondum confirmatus est, celebrans statim manus super caput candidati imponit et incipit ritum Confirmationis cum oratione Deus omnípotens (cf. nn. 269-270).

18. Post Confirmationem celebrans noviter admissum salutat, manus eius inter manus suas accipiens in signum amicalis receptionis. Pro quo gestu secundum regiones et adiuncta, permissu Ordinarii, alius gestus aptus substitui potest.

Si autem admissus non confirmatur, salutatio hæc sequitur immediate formulam admissionis (n. 16).

19. Admissione (et Confirmatione) peracta, sequitur oratio universalis. In eius introductione fiat mentio Baptismi, Confirmationis et Eucharistiæ, et significetur gratiarum actio. Initio intercessionum mentio fit modo admissi (cf. n. 30, p. 182).

20. Post orationem universalem sponsor et, si pauciores tantum ritui admissionis assistunt, omnes astantes, recens admissum amicaliter pro opportunitate salutant, quo in casu in hac Missa osculum pacis omitti potest. Tunc admissus recedit ad locum suum.

21. Prosequitur deinde Missa. Convenit ut in ea recens admissus et alii, de quibus supra, n. 11, Ss.mam Eucharistiam sub utraque specie recipiant.

CAPUT II

ORDO ADMISSIONIS EXTRA MISSAM

22. Si admissio, gravi de causa, celebratur extra Missam, habeatur liturgia verbi.

23. Celebrans alba, vel saltem superpelliceo, et stola festivi coloris indutus, præsentes salutat.

24. Celebratio deinde exordium sumit a (cantu apto et) lectione sacræ Scripturæ, quæ illustratur homilia (cf. n. 14b).

25. Sequitur admissio, modo supra descripto peragenda (nn. 14c-19).

26. Oratio universalis concluditur Oratione dominica ab omnibus simul cantata vel recitata, quam sequitur benedictio sacerdotalis.

27. Tunc sponsor et, si pauciores tantum ritui assistunt, omnes astantes recens admissum amicaliter pro opportunitate salutant. Quo facto, omnes in pace recedunt.

28. Quodsi propter extraordinaria adiuncta admissio etiam sine liturgia verbi celebranda videtur, omnia fiant ut supra, incipiendo a monitione celebrantis. Quæ monitio exordium sumat ab aliquo verbo Scripturæ sacræ, quod ex. gr. extollat misericordiam Dei, qua admittendus deductus est, et mentionem faciat communionis eucharisticæ mox recipiendæ.

CAPUT III

TEXTUS ADHIBENDI IN RITIBUS ADMISSIONIS

29. I. LECTIONES BIBLICÆ

Lectiones biblicæ, tuum in Missa tum in liturgia verbi, sumi possunt, sive ex toto sive ex parte, aut e Missa diei aut e Missa pro unitate Christianorum (Cf. Ordo lectionum Missæ, nn. 850-854) aut e Missa initiationis christianæ (cf. ibidem, nn. 752-756).

Quando vero ritus sine Missa celebratur, adhiberi possunt præsertim textus qui sequuntur.

Lectiones e Novo Testamento

1. Rom 8, 28-39: « Prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui ».
Fratres: Scimus quoniam diligentibus Deum ...

2. 1 Cor 12, 31 – 13, 13: « Caritas numquam excidit ».
Fratres: Æmulamini charismata meliora ...

3. Eph 1, 3-14: « Elegit nos Deus ut essemus sancti et immaculati in caritate ».
Fratres: Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi ...

4. Eph 4, 1-7. 11-13: « Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus et Pater omnium ».
Fratres: Obsecro vos, ego, vinctus in Domino ...

5. Phil 4, 4-8: « Quæcumque sancta, hæc cogitate ».
Fratres: Gaudete in Domino semper ...

6. 1 Th 5, 16-24: « Spiritus vester, et anima, et corpus in adventu Domini servetur ».
Fratres: Semper gaudete ...

Psalmi responsorii

1. Ps 26, 1. 4. 8b-9abc. 13-14.
℟. (1a): Dominus illuminatio mea et salus mea.

2. Ps 41, 2-3; 42, 3. 4.
℟. (Ps 41, 3a): Sitivit anima mea ad Deum vivum.

3. Ps 60, 2-3a. 3bc-4. 5-6. 9.
℟. (4a): Factus es spes mea, Domine.

4. Ps 62, 2. 3-4. 5-6. 8-9.
℟. (2b): Sitivit in te anima mea, Domine, Deus meus.

5. Ps 64, 2-3a. 3b-4. 5. 6.
℟. (2a): Te decet hymnus, Deus, in Sion.

6. Ps 120, 1-2. 3-4. 5-6. 7-8.
℟. (2a): Auxilium meum a Domino.

Evangelia

1. Mt 5, 2-12a: « Gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis ».
In illo tempore: Docebat Iesus discipulos suos, dicens ...

2. Mt 5, 13-16: « Sic luceat lux vestra coram hominibus ».
In illo tempore: Docebat Iesus discipulos suos, dicens: Vos estis sal terræ ...

3. Mt 11, 25-30: « Abscondisti hæc a sapientibus, et revelasti ea parvulis ».
In illo tempore: Respondens Iesus, dixit ...

4. Io 3, 16-21: « Ut omnis qui credit in eum habeat vitam æternam ».
In illo tempore: Dixit Iesus Nicodemo: Sic dilexit Deus mundum ...

5. Io 14, 15-23. 26-27: « Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus ».
In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Si diligitis me ...

6. Io 15, 1-6: « Ego sum vitis, vos palmites ».
In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Ego sum vitis vera ...

30. II. SPECIMEN ORATIONIS UNIVERSALIS

Fratres caríssimi: Cum gratiárum actióne erga Deum hunc fratrem nostrum, qui Baptísmate (et Confirmatióne) Christo iam insértus erat, in plenam Ecclésiæ cathólicæ communiónem recépimus (et Spíritus Sancti donis confirmávimus), ut mox nobíscum mensam Dómini partícipet. Gaudéntes de membro in Ecclésiam cathólicam nóviter admísso, grátiam una cum eo et misericórdiam Salvatóris implorémus.

Pro fratre nostro, quem hódie inter nos recépimus, ut, adiuvánte Spíritu Sancto, in suo propósito fidéliter persevéret, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Pro omnibus in Christum credéntibus eorúmque communitátibus, ut ad perféctam pervéniant unitátem, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Pro Ecclésia (Communitáte), in qua hic modo admíssus baptizátus ántea et educátus est, ut Christum áltius semper cognóscat et efficácius annúntiet, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Pro ómnibus quos iam accéndit desidérium grátiæ cæléstis, ut ad plenam perducántur in Christo veritátem, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Pro nondum in Christum Dóminum credéntibus, ut, Spíritu Sancto illumináti, viam salútis et ipsi váleant iníre Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Pro ómnibus homínibus, ut, a fame et bello liberáti, in pace et tranquillitáte iúgiter vivant, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Pro nobismetípsis, ut in fide, quam gratis recépimus, usque in finem perseverémus, Dóminum precémur.

℟. Exáudi, Dómine.

Oratio

Omnípotens ætérne Deus,
exáudi preces, quas ad te effúndimus,
ut grata tibi devotióne iúgiter serviámus.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

31. Si admissio celebratur extra Missam, transitus ab oratione communi ad Orationem dominicam (cf. n. 26) his vel similibus verbis fieri potest:

Celebrans:

Preces nostras coniungámus,
fratres dilectíssimi, eásque proferámus
quemádmodum Dóminus noster Iesus Christus
oráre nos dócuit.

Omnes:

Pater noster ...

Si admissus in sua Communitate usum habuit addendi Orationi dominicæ clausulam seu doxologiam finalem Quia tuum est regnum, etc., addatur hoc loco.

INDEX